Schwebsch, H. De oratione quae contra Leocharem a Demosthene scripta fertur. Diss. Berol. 1878.

DE ORATIONE

QUAE

CONTRA LEOCHAREM A DEMOSTHENE

SCRIPTA FERTUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXXI. M. IULII A. MDCCCLXXVIII HORA I

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

(Karl August)

HERMANNUS SCHWEBSCH

BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

B. KUTTNER, DR. PHIL.
B. FREIER, CAND. PHIL.
P. SCHROEDER, SOD. SEM.

BEROLINI, MDCCCLXXVIII.

KEMPFIO

DIRECTORI ET PRAECEPTORI

CARISSIMO.



Leocharea oratio vulgo traditur inter Demosthenicas loco quadragesimo quarto. Eam spuriam esse primus censuit Sauppius, qui in editione Turicensi Demosthenis nomen uncis inclusit. Nec tamen addidit vir in arte critica egregius ullum iudicii argumentum, sed in praefatione Demosthenica (p. XIII) id tantum asseverat, se nisi omnibus verborum rerumque momentis religiose ac diligenter ponderatis nullam orationem Demostheni abiudicasse aut originis illustris honore privasse. Argumenta aliquot postea prolata sunt ab Arnoldo Schaefero, qui in additamentis libri „Demosthenes und seine Zeit" (p. 241 sq.) brevibus hanc orationem tractavit. Sed tamen respexit vir doctus non omnia, multa neglexit, alia perperam explicavit. Itaque cum iam pridem mihi Demosthenicis orationibus operam navanti multa in hac oratione obvia suspicionem movissent, operae pretium visum est totam rem denuo accuratius disquirere, praesertim cum ex hoc fonte nonnulla quae ad antiquitates Graecorum pertinent non recte explicata in libros doctorum virorum manasse intellegerem. Quae dissertatio cum tota iam esset litteris mandata factum est, ut a bibliopola Blassii libri de eloquentia Ath. pars III, quae Demosthenicas orationes continet, ad me mitteretur. Tamen ne nunc quidem acta egisse mihi videor. Dissentio enim a docto viro, quod is Schaeferum quique antea rem tetigerunt secutus hanc orationem non solum ad finem perductam sed etiam in iudicio habitam esse censet, ego autem perfectam atque perpolitam eam esse nego. Utrum iudicium rectius sit aliorum erit diiudicare, mihi autem venia petenda est, quod cum ea, quae adhuc enucleata habeo in lucem proferre audeam, hic

illic attingam quae Blassius iam protulit. Disseram autem priore loco de externis quae dicuntur argumentis, altero inde a capite II pro virili parte ea indagare conabor, quae ex ipsa causa atque oratione hauriri possunt.

I.

Externa argumenta.

Atque externa quidem argumenta paucis absolvi possunt, quoniam ea argumentationis pars, quae versatur in recensenda fide eorum, qui primi corpus orationum Demosthenicarum composuerunt, a Rehdantzio, Schaefero, Siggio [1]), aliis satis tractata est. Nemo enim nunc dubitat, quin inde quod haec oratio a Callimacho inter Demosthenicas numerata est argumentum hauriri non possit, quo ipsi quoque nos eam egregio oratori tribuere cogamur.

De testimoniis veterum.

Nec melius defenditur oratio testimoniis veterum. Nam quod mirum est, nullum scholion, nulla prorsus apud posteros memoria eius exstare videtur, profecto nec iis qui antea eam tractaverunt, nec mihi nec Blassio contigit, ut ullum certum eius testimonium apud lexicographos aut artium scriptores investigarem. Est autem hoc eo magis mirandum, cum in Leocharea complures res tradantur, quae ad antiquitates spectant, quaeque nullo alio loco commemorantur. Nam etiam Harpocration, qui non solum omnes orationes quas nunc habemus, sed etiam plures nominatim Demostheni adscribit, tamen et Leochaream et XI, quae inscribitur *πρὸς τὴν ἐπιστολὴν Φιλίππου* ita non attingit, ut ne omisso quidem nomine rem ullam ex ea desumptam tractet. Etenim satis apparet, verbum quod est *λουτροφόρος* eum e Leocharea non sumpsisse, cum non solum alios scriptores nominet, sed etiam puerum *λουτροφόρον* fuisse dicat, cum ex hac oratione puellam eam fuisse discamus (§. 30 *ἡ λουτρ.*) Cur ille omiserit hanc ora-

1) cf. praeter ceteros quae exposuerunt Rehdantzius apud Schaef. Dem. u. s. Z. III, 2, pag. 317 et Siggius, Jahrbüch. für class. Philologie, Suppl. VI, p. 397 sequ.

tionem et unam eam, quae quin spuria sit nemo dubitat[1]), utrum consulto hoc factum sit, an defecerit oratio in libro eius, non est perspicuum: Demostheni orationem adscribere hac re sane non cogimur.

Nec minus iuvamur loco ipso, quem in codicibus oratio tenet. Sunt autem si ordines orationum spectabimus tres codicum classes discernendae, quarum in prima numerandi videntur: De codicibus.

a) B, Bavaricus Monacensis 85. F, Venetus Marcianus 416. Q, Venetus Marcianus 418. } ad emendandam Leoch. adhibiti.

b) Codex membranaceus Laurentianus, adhuc non collatus sed descriptus tantum a Schultzio (de codd. quibusd. Demosthenicis ad or. III Philippicam nondum adhibitis. progr. Berol. 1860 p. 37).

In alteram classem refero hos:

a) A [1] Augustanum primum nunc Monacensem 485. r, Parisiensem regium 2936. } collati sunt ab editoribus.

b) Malatestianum, Palatinum V. } descripti tantum sunt a Voemelio, Dem. cont. p. 245 et 254.

Tertia classis uno codice Σ continetur.

In prima classe ordo omnium orationum idem fere est qui in libris editis, nisi quod teste Dindorfio[2]) in F et B orationum de Rhodiorum libertate et pro Megalopolitis ordo inversus est et Androtionea antecedit orationem *περὶ στεφάνου*. In Veneto Q insunt orationes duae et triginta hoc ordine: 18, 19, 32—61. Consentiunt autem docti viri hunc vulgatum ordinem antiquitus esse acceptum, sive Callimachus sive alius quis orationes ordinavit. Habent enim primum locum orationes publice habitae (*οἱ δημόσιοι λ.*) *οἱ Φιλιππικοὶ λ.* (I—XII), altero loco positi sunt *οἱ συμβουλευτικοὶ* (XIII—XVII), tum *οἱ δικανικοί* (XVIII—XXVI). Sequuntur privatae orationes (*οἱ ἰδιωτικοὶ λ.*), in quibus primi sunt *οἱ ἐπιτροπικοὶ λόγοι* (XXVII—XXXI), alterum locum habent *οἱ παραγραφικοί*

1) vid. Schaef. l. c. III, 2, p. 103 sq.

2) praefat. ed. Oxon. p. XI sq.

(XXXII—XXXVIII), tum sequitur ea classis, qua *οἱ ἰδιωτικοὶ λόγοι* ut vulgo dicuntur continentur (XXXIX—LXI), in quibus Leocharea est quadragesima quarta.

Quae quidem fuerit ratio, qua dispositae sint orationes, utrum causarum similitudo, an temporum quibus habitae sint ordo ac consecutio, hoc non semper potest dignosci. Sed tamen si spectamus orationes XXXIX (quae est *πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος*) usque ad XLIV (quae sequitur orationem *πρὸς Μακάρτατον περὶ Ἁγνίου κλήρου*), qua in classe insunt orationes *περὶ προικὸς, ὑπὲρ προικὸς, περὶ ἀντιδόσεως* (XL, XLI, XLII), neminem potest fugere, similitudinem causarum praebuisse ansam has orationes uno loco collocandi. Nec minus apte quae sequuntur XLV—XLVII post Leochaream positae sunt, cum *ψευδομαρτυριῶν* inscriptae post eam teneant locum, quae etsi *περὶ κλήρου* inscribitur, tamen rectius *ψευδομαρτυριῶν* dicitur. Porro cum orationes XLV—XLVI in Apollodori causa *ψευδομαρτυριῶν* habitae sint et oratio XLVII, quae item *ψευδομαρτυριῶν* inscribitur, ab eo composita videatur esse [1]), et XLIX—LIII ad eundem virum spectant, non minus patet causam fuisse satis magnam has omnes orationes in unam classem redigendi. Quod autem attinet ad orationem XLVIII, quae inscribitur *κατὰ Ὀλυμπιοδώρου βλάβης*, quaeque nulla ratione cum Apollodori causis cohaeret, mihi verisimile est, casu eam hoc loco positam esse. Multo enim rectius secundum ceteros codices Σ, A^1, r, Pal. V, Malat. [2]) eam insequenti parti adnumerabimus, in quam omnes eae orationes receptae sunt, quae ad diversas et causas et personas spectant et in qua LVI est oratio *κατὰ Διονυσοδώρου βλάβης*.

Iam vero hunc ordinem si respicimus Leochaream orationem insertam esse videmus inter duas spurias, inter Macartateam et priorem contra Stephanum; in altera autem classe, quae continetur codicibus A^1, r, Malat., Pal. quinto sequitur haec oratio Macarteam et praecedit orationi XXXIX *πρὸς*

---

1) cf. Schaef. l. c. III, 2, 193 sq., Sigg. Jahrbüch. f. class. Phil. supp. VI, pag. 432, Blass. att. Beredsamk. III, 1, 484.

2) Ordo est huius partis in A^1 r, Pal. V, Malat. 54, 55, 48, 56; in Σ: 54, 56, 48, 47, 55; — vid. pag. 5, not. 1.

Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος, de qua magnopere dubitant docti viri.

Augetur nobis suspicio auctoritate praestantissimi codicis *Σ*. In eo enim hanc orationem non solum post prooemia et epistolas sed etiam post omnes Apollodori orationes ita collocatam habemus, ut posita in fine eius classis, qua quae ad rem familiarem pertinent continentur (XXXIX usque ad XLIV), iis, quae vulgo novissimae traduntur (LVII—LXI), quasque veteres iam spurias esse censebant, praecedat[1]). Quale igitur testimonium praebetur codicibus? certe nullum, opinor, nisi quod probare studui, ipso eo loco, quem in codicibus teneat, suspectam nobis fieri orationem[2]).

---

1) Ordo est orationum in Σ: 1, 2, 3, 4, 8, 7, 5, 6, 9, 10, 11, 22, 24, 23, 20, 21, 18, 19, 25, 26, 59, 36, 45, 46, 37, 38, 32, 33, 34, 35, prooemia, epistolae (1, 4, 2, 5, 3,) 27, 28, 29, 30, 31, 54, 56, 48, 47, 55, 50, 51, 53, 49, 52, | 39, 40, 41, 42, 43, 44, | 57, 58, 61, 60, | 13, 14, 16, 15, 17 usque ad §. 10 v. 2.

2) Liceat mihi hoc loco eam coniecturam proferre, quae mihi iterum iterumque rem reputanti in dies melior atque verisimilior videbatur. Videor enim mihi probare posse, Leochaream orationem ab Alexandrinis in fine unius voluminis collocatam fuisse, quo volumine orationes XXXIX — XLIV continerentur. Nam etsi nihil de hac re traditum habemus, tamen puto argumenta esse haec:

Primum, ultimum volumen, si omnes ἰδιωδικοὶ λόγοι qui dicuntur (XXXIX—LXI) in eo consociati fuissent, multo maiore amplitudine esset, quam ullum ceterorum.

Deinde vidimus iam in his privatis orationibus facillime complures classes discerni posse, quae orationum numero haud multum inter se discrepent. Prima enim complectitur orationes de fortunis diversorum hominum habitas (XXXIX—XLIV). Altera continentur eae orationes, quae ad Apollodorum spectant praeter XLVII—XLVIII. Sed tamen illa (XLVII), quae est contra Euergum et Mnesibulum praeterquam quod ab Apollodoro scripta videtur inserta esse potest propter rerum similitudinem, cum sicut XLV et XLVI in causa ψευδομαρτυριῶν habita sit. Haec autem (XLVIII), quae inscribitur κατὰ Ὀλυμπιοδώρου βλάβης meliore iure tertiae classi adnumeratur, cum tertio loco (LIV—LVII) eae legantur orationes, quae ad diversos homines et diversas causas spectant. In quarta denique classe sequuntur orationes apertissime spuriae (LVIII—LXI).

Tertium denique argumentum inde hauriri potest, quod etiam codicibus, quos quidem novimus, orationes XXXIX—XLIX in uno loco collocatae exhibentur. Nam etiamsi in Malatestiano, Palatino quinto, Augu-

II.


De litis causa ac nomine.

Nunc ut transitum mihi parem ad argumenta ex ipsa oratione petita, proficiscendum videtur a causa, in qua oratio versatur. Est autem haec[1]):

Archiades quidam, Euthymachi filius, Otrynensis, mortem obiit nullis liberis relictis. Cuius in domum, sive ne interiret, sive ut ipse hereditatem acciperet, statim, ut ait actor, intravit Leocrates Eleusinius, ex filia Archidices, quae soror Archiadis fuerat, natus. Is autem cum multos annos post levem quandam dissensionem a Mydylide motam bona tenuisset, relicto filio Leostrato (II) ad Eleusinios rediit. Quod idem cum faceret filius factum est denique, ut Leocrates II, qui Leocratis maioris nepos erat, Archiadis illius iam pridem defuncti

stano, Parisiensi r. turbatus est ordo, — est enim hic: 43, 44, 39, 40, 41, 49, 53, 42, 50 etc. — tamen hoc non multum valet, cum casu factum esse possit, ut oratio quadragesima secunda duabus illis 49 et 53 interpositis a ceteris dirimeretur; non autem casui tribuendum est, quod in universum tamen omnes apte consociatae sunt, praesertim cum etiam in codice Σ haec pars apertissime a ceteris segregata sit et omnes orationes XXXIX—XLIV vulgato ordine contineat (cf. pag. 5 not. 1). Quod si recte video Leochaream orationem in fine huius voluminis positam fuisse, multo magis ea fit suspecta. Nam non est omittendum quod primus Rehdantzius vidit (Jahrb. f. cl. Phil. 75, p. 815) non casu factum esse posse, ut eae orationes, quae quin spuriae sint nemo dubitet, quaeque fraudis vestigia prope expressa exhibeant, omnes fere in extremis illis classibus legantur, sicut in prima parte X, XI, XII, in altera XVII, in tertia XXV, XXVI, in fine totius corporis LVIII—LXI.

1) Stemma.



filium sese profiteretur. Sed ne is quidem remansit; mortuus est enim paullo post nec reliquit filium. Itaque pater eius, idem Leostratus II, qui antea ad Eleusinios redierat, Otrynensium res agere conatus, tanquamsi etiamtum filius esset Archiadis, hereditatem postulavit. Tum exstiterunt contra eum Aristodemus Pallenensis et filius, quem Reiskius ab avi nomine Aristotelem appellatum esse contendit, et postulaverunt, ut ipsis hereditas traderetur, cum Aristodemus pater, ut nepos Midylidis I ex filia Clitomache, a virili stirpe Archiadis oriundus esset, cumque leges iuberent hereditatem propinquis virilibus restitui, si quis adoptatus nullos reliquisset filios. Delata est res ad archontem, apud quem primo Leostratus II pro sua parte *παρακαταβολήν* deposuit, deinde cum dubia res videretur Leochares, Leocratis II frater, diamartyriam instituit, non posse rem in iudicium vocari, cum filii adessent legitimi. Contra hanc diamartyriam intenditur oratio a filio Aristodemi, qui id potissimum contendit, non esse filios legitimos, cum Leocrates II ad Eleusinios recessisset et Leochares contra morem atque consuetudinem Atheniensium prius in *ληξιαρχικῷ γραμματείῳ* quam *φρατερικῷ* inscriptus esset.

Permultis difficultatibus causa implicata est. Accedamus primum ad eas, quae insunt in adoptionibus. Invehitur enim orator in adversarios, quod Leocrates ille maior, Archidices nepos, contra ius et fas Archiadis rem familiarem sibi asciverit, cum dicit §. 19: *ἐν δὲ τούτῳ τῷ καιρῷ ἔχων τὴν τῆς συγγενείας τῆς πρὸς γυναικῶν πρόφασιν Λεωκράτης ὁ τουτουὶ πατὴρ Λεωστράτου εἰσποιεῖ αὑτὸν υἱὸν τῷ Ἀρχιάδῃ, καὶ ἐνεβάτευσεν οὕτως εἰς τὴν οὐσίαν ὡς ὑπ' ἐκείνου ζῶντος ἔτι εἰσποιηθείς* atque addit Midylidem ex itinere reducem hoc adeo moleste tulisse, ut eum e domo Archiadis expulsurus fuerit, nisi a propinquis prohibitus esset. Attamen aliis locis non solum *εἰσποιητὸν* eum dicit (22) et *ποίησιν* velut iustam commemorat (29, 61, cf. 54 al.), sed etiam clarissimis verbis dicit §. 46: *ὁ γὰρ Ἀρχιάδης ἐποιήσατο υἱὸν τὸν τοῦ διαμεμαρτυρηκότος νυνὶ πάππον.* Quid igitur est pro vero habendum? nam is qui argumentum orationis scripsit rem in medio reliquit, Schaeferus autem arbitratur, adoptatum esse Leocratem,

De adoptionibus.

non sua sponte in domum Archiadis transmigrasse. Quod cur equidem probem paucis iam explicemus.

Constat post Solonis aetatem triplici modo apud Athenienses adoptionem fieri potuisse. Potuit enim civis Atheniensis, cui non erant liberi, hominem item civem e parentibus iusto matrimonio coniunctis natum ipse vivus in phratriam suam et domum introducere. Quod genus adoptionis optimum atque tutissimum erat, cum vivis testibus haud facile fieri posset ut adoptio in dubium vocaretur[1]). Praeterea sancire licebat testamento, quem quis stirpem ipsius propagare vellet. Tertium denique adoptionis genus erat, cum quis civis iustus in domum defuncti a propinquis introducebatur, ne omnia ea iura atque officia, quae ad res et publicas et divinas pertinerent, una cum domo exstinguerentur. Apparet haec duo genera adoptionis multo minus tuta fuisse; perfacile enim fieri potuit, ut alius quis contenderet aut subditivum esse testamentum aut ipso neminem esse mortuo propinquiorem.

Iam vero puto perspicuum fore Leocratem I nec sua sponte in domum Archiadis transiisse nec a Leostrato Archidices coniuge per fraudem introductum esse, si intellexerimus optima quae fuissent ad refutandos adversarios argumenta actorem omisisse. Non enim licebat sponte in domum defuncti cuiusquam transire aut filium transducere, nisi qui stirpem propagaret proximus erat genere ei, qui hereditatem reliquerat[2]). Quod idem orator concedere mihi videtur cum

---

1) Non intellego, cur de Télfy (corp. iur Att. Nr. 1426) velut legem Solonis afferat verba ex argumento huius orationis petita: ζῶν ποιησάσθω τις παῖδα, μετὰ τὴν τελευτὴν ἐπ' ἀποστερήσει τῆς οὐσίας παρὰ τοὺς νόμους ἡ εἰσποίησις γίνεται. Nam verba quae adduntur καθάπερ οἱ νόμοι κελεύουσιν referenda sunt ad ea quae praecedunt: οὐ γὰρ ζῶν, φησὶν, ὁ Λεωκράτης ἐποιήσατο παῖδα τὸν Λεωχάρην, et quae sequuntur ἀλλὰ — γίνεται non Solonis verba sunt, sed actoris in adversarium sophistarum in modum invehentis.

2) Vid. quae exposuit Schoemannus de lit. Att. p. 435. Cuius ad exempla addendum est [Dem.] Mac. 77. Recte vidit v. d. hoc adoptionis genus praecipue adhibitum esse, cum epicleri filius matre auctore in domum avi materni introduceretur. Itaque vitio tribuit actor orationis

dicit §. 43: *ἐπειδὰν περὶ τούτου τοῦ ἀγῶνος ὑμεῖς τὴν ψῆφον ἐνέγκητε, τηνικαῦτα ἐκ τῶν κατὰ γένος ἐγγυτάτω ἡμῶν εἰσποιεῖν υἱὸν τῷ τετελευτηκότι, ὅπως ἂν ὁ οἶκος μὴ ἐξερημωθῇ* et §. 36: *καὶ ᾠόμεθα δεῖν κριθῆναι πρῶτον τὴν κληρονομίαν παρ' ὑμῖν πρὶν ἐπὶ τὸ ὄνομά τινα τὸ τοῦ Ἀρχιάδου εἰσποιηθῆναι.* Narrat autem orator viguisse aetate Midylidem quo tempore Archiades de vita decederet (§. 19). Ergo cum Archidice soror non esset epiclerus nec fratribus sororibusque defuncti rem familiarem inter se partiri liceret, — sorores enim nisi dotem nihil accipiebant — necesse erat, totam hereditatem ad fratrem Midylidem et per eum in nepotum manus transire [1]). Etenim nec lege nec pietate coactus erat frater fratri filium instituere, cum ipsi contingere posset, ut patri Euthymacho nepotes daret. Ac ne si non dedisset quidem nepotem, hereditas ad Archidices familiam transiisset, sed Clitomachae filiae, Aristotelis uxori filio in patris domum introducto propaganda erat stirps Midylidis. Eius igitur in domo tota hereditas mansisset, nec Archidicae, nec filiae, nec nepoti Leocrati I ulla *ἀγχιστεία* fuisset, sed integrum fuisset ius Aristodemi et filii.

Quae cum ita sint, cum tantum absit, ut ea in commodum suum vertat orator, ut ne verbo quidem attingat, sed id solum studeat refutare, Leocharem a patre Leostrato in loco Leocratis minoris iuste insertum esse familiae Archiadis, hinc colligendum puto, non sua sponte Leocratem I in domum Archiadis transiise, sed optimo iure fuisse ascitum.

Sed si forsitan quispiam dixerit, propter temporis spatium inter mortem Archiadis et hanc litem interiectum dubium esse, num pristina illa adoptio, si quidem per fraudem facta erat, tum quid ad refutandos adversarios valere potuerit, conceden-

---

Is. de Apoll. hered. (§. 30) Eupolidis filiabus, quod cum filios habuissent tamen cum domo fratris etiam patris exstingui passae essent. Quod Platon dicit (de legibus IX, 878) si quis mortuus esset improles, convenirent cognati eligerentque γένος εὐδοκιμώτατον πρὸς ἀρετὴν, ἐν ᾧ παῖδες γεγονότες ὦσι πλείους, e quibus unum instituerent, nullum habuit locum apud Athenienses, sed in sola ea civitate, quam sibi finxit philosophus.

1) cf. Is. de Hagn. hered. §. 1 sq.

dum quidem est, certis testimoniis aut luculentis exemplis hoc, dum melioribus fontibus quam quos nunc habemus uti non liceat, vix posse refutari. Legimus enim in lege Macartateae orationis — constat autem, litium instrumenta quae in orationibus traduntur pleraque spuria esse, quamquam nonnulla in titulis quibusdam reperta sunt[1]) — legimus dico in Macartatea §. 16: *ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταὐτά, ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ· τὴν δ' ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ ἔχοντι, καθότι ἐπεδικάσατο οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα*, et quid sibi velit *ἡ προθεσμία*: Is. III, 58, *ὁ δὲ νόμος πέντε ἐτῶν κελεύει δικάσασθαι τοῦ κλήρου, ἐπειδὰν τελευτήσῃ ὁ κληρονόμος*. Primus haec recte intellexit Schoemannus (ad Isaeum p. 433), cum doceret, contra ipsum quidem primum heredem quamdiu viveret controversiam movere licuisse, sed si huius morte ad alium quem, ipsius heredem, bona pervenissent, praescriptionem quinquennii fuisse. Atque id quidem est concedendum, complures homines, Leocratem I et eius posteros, deinceps possedisse Archiadis rem familiarem, sed tamen Leocrates I nec adeptus est hereditatem *ἐπιδικασίᾳ*, nec est mortuus in domo Archiadis, sed solus Leocrates II. Praeterea nescimus, utrum, quod mihi quidem verisimile est, unusquisque eorum Archiadis ipsius filius et heres dictus sit, an Leostratus II filius Leocratis I, et Leocrates II filius Leostrati II, nepos Leocratis I, sim. Nam si unusquisque eorum deinceps usque ad Leocratem mortuum Archiadis filius dicebatur, temporis longitudine Aristodemus filiusque impediti non sunt, quominus pristinam adoptionem irritam facerent, atque colligendum est, eam, cum non perstringeretur, iustam ac ratam fuisse. Si autem non omnes filii erant, sed Leostratus II nepos et Leocrates mortuus abnepos, Archiadis hereditas tum usu capta erat nec pristina illa adoptione refutata recuperari potuit. Sed quamquam concedo, hac ratione speciem quandam excusationis praeberi, tamen non crediderim, ullum oratorem, si per fraudem illi irrepsissent, hoc silentio praeteriturum fuisse. Praeterea, si oratori fidem

1) cf. quae exposuerunt Sauppius, Verhandlungen der Philologenversamml. in Halle 1867 p. 79 sq. et Koehler, Hermes II p. 27.

habere licet, concedendum est, unumquemque ut filium Archiadis bona possedisse. Nam Leochares introductus est in familiam defuncti ut filius Archiadis, non Leocratis II, nec perstringit orator filii nomen, sed qua ratione ascitus sit. (cf. 2, οὑτοσὶ δὲ οὔτε γένει τοῦ τετελευτηκότος (Ἀρχιάδου) υἱὸς ὤν. 22, 23, 27, 34, 42, 46, 48, 50, 52, 26, ad quem locum etiam conferenda sunt, quae Schoemannus ad Is. p. 455 exposuit). Accedit, quod ipse actor hereditatem petit ut Archiadis, non ut Leocratis II. Nullo modo hoc fieri potuit, si vetustate hereditas Aristodemi filiae prorsus detracta esset. Praeterea si ita fuisset, non potest intellegi, cur orator iterum atque iterum explicet se propiorem esse Archiadi quam adversarios, seque e virili stirpe descendentem esse, Leocharem e feminea. Petenda enim fuit hereditas, quod uno tantum loco obiter attingitur (§. 26), ut Leocratis consobrini, et satis fuit, accuratius, id est gravioribus argumentis quam fecit orator, ostendere, contra ius et fas introductum esse Leocharem a patre in domum fratris. Quae cum ita sint, cum tam rusticum tamque stolidum quemquam fuisse non crediderim, ut non solum telum optimum atque ad repellendos adversarios maxime idoneum nulla necessitate coactus abiceret, sed contra clarissimis verbis adoptionem probaret, non possum concedere per se contra ius et fas irrepsisse Leocratem I in domum Archiadis.

Praeterea illud considerandum est. Orator tres enumerat Aristotelis et Clitomaches filios (§. 10); Aristodemum patrem, Habronichum patruum, Midylidem II, quem tamen tum mortuum esse dicit. Vivi igitur erant ad id tempus Aristodemus et Habronichus, uterque Midylides illius maioris nepos ex filia. Quare cum Habronicho idem ius esset hereditatis postulandae, quod Aristodemo, conveniens erat, eum quoque in Leocharem subscribere. Attamen Habronichus non solum in una paragrapho 10 ab oratore commemoratur, sed etiam ita, ut tunc iudicio interfuisse non videatur. Etiam ceteris locis de patre solo dicit actor, non de patruo (cf. §. 4 al. loc.). Quod quemadmodum explicari possit non video, nisi concedamus aut eum quoque tunc mortuum fuisse — et si ita erat

oratoris neglegentiae tribuendum est, quod hoc non commemoravit — aut eum quoque iniustam putavisse causam. Nam ne illud quidem in mentem venire potest, Habronichum ut Clitomaches epicleri filium in Midylidis domo fuisse, etenim hac ratione cum genere propior fuisset et mortuo Leocrati II et Archiadi, Aristodemum et filium hereditate exclusisset, atque stultissimae neglegentiae fuisset nomen eius commemorare.

Relinquuntur ergo duo genera adoptionis. Concedendum enim est, Leocratem I aut post mortem Archiadis testamento adoptatum aut a vivo Archiade filium ascitum esse. Inerant sane in Archiade omnia, quae ad adoptandum necessaria erant. Erat enim improles, sui iuris, civis iustus, compos mentis, non incitabatur a muliere. Itaque ei licuit et adoptare et testamentum condere (cf. Is. de Men. 13. *καί μοι τὸν νόμον ἀνάγνωθι, ὃς κελεύει τὰ ἑαυτοῦ ἐξεῖναι διαθέσθαι ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἐὰν μὴ παῖδες ἄῤῥενες ὦσι γνήσιοι. ὁ γὰρ νομοθέτης, ὦ ἄνδρες, διὰ τοῦτο τὸν νόμον ἔθηκεν κ. τ. λ.* Philoctem. 9 et 28. Astyphil. 11. Arist. 2), praesertim cum Leocrates I non alienus genere, sed sororis filiae filius esset. Atqui si testamento ascitus esset Leocrates I, sine dubio hoc commemorasset Aristoteles, cum testamento refutando iudicum animos facillime sibi conciliare posset. Consentio igitur cum Schoemanno, qui (Att. Process p. 435 adnot. 62) propter verba §. 19: *καὶ ἐνεβάτευσεν οὕτως εἰς τὴν οὐσίαν ὡς ὑπ' ἐκείνου ζῶντος ἔτι εἰσποιηθεὶς* censuit Leocratem I a vivo Archiade in phratores introductum esse. Constat enim inter omnes, per *ἐμβάτευσιν* hereditatem recipere nemini licuisse nisi et filiis naturalibus et qui inter vivos adoptati erant (cf. Isaei or. de Astyphil. hered. 3, de Pyrrhi hered. 58—61, Bekkeri anecd. I, 183, 26, quae exposuit Schoemannus ad Is. p. 259, 409, de lite Att. 459 seq., Schneider de iure heredit. Ath. p. 46 seq.) Praeterea haec si ita erant facillime intellegimus, cur propinqui Archiadis nihil contra adoptionem moliti sint et quo iure diamartyria, quae ab hominibus inter vivos adoptatis intendebatur, a Leochare ut a filio Archiadis institui potuerit. Nempe is cum in domum Archiadis introductus esset, omnia

ea iura sibi vindicavit, quae antea Leocratis fuerant, cuius locum obtinebat.

Nec minore iure relictus est filius in domo Archiadis, cum pater ad Eleusinios recederet (cf. Is. de Philoctem. hered. 44. *ὁ γὰρ νόμος οὐκ ἐᾷ ἐπανιέναι ἐὰν μὴ υἱὸν καταλίπῃ γνήσιον.* Harpocrat. sub verb. *ὅτι οἱ ποιητοί: οἱ ποιητοὶ παῖδες ἐπανελθεῖν εἰς τὸν πατρῷον οἶκον οὐκ εἰσὶ κύριοι, εἰ μὴ παῖδας γνησίους καταλίποιεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ποιησαμένου.* Schneider l. c. p. 29. Schoemann. de lit. Att. l. c., Hermann, ant. gr. III, 65, 20). Utitur enim *ὁ εἰσποιητὸς υἱὸς* eodem iure quo *οἱ ἔποικοι*, de quibus in titulo Naupactio ante paucos annos reperto legimus, licere colono discedere de sede sua, *καταλείποντα ἐν τᾷ ἱστίᾳ παῖδα ἡβατὰν ἠδελφεὸν* (cf. *Ἐποίκια Λοκρῶν γράμματα ὑπὸ Ι. Ν. Οἰκονομίδου.* Ath. 1869, A vers. 7 et Mus. Rhen. XXVI p. 50 sq.). Id tantum dubium esse potest, num etiam filio relicto ipsi item filium relinquere licuerit. Apud veteres quidem hac de re nullum testimonium, nullum exemplum exstat, sed casu hoc factum esse potest. Rationem enim si sequemur neminem puto posse dubitare, quin summo iure Leostratus II cum ad Eleusinios rediret Leocratem filium reliquerit. Etenim quicumque filium sibi asciscebat volebat in eius familia sua bona suaque omnia iura manere, non in familia aliena. Hac de causa ex propinquorum numero, non ex quavis alia domo filios adoptabant. Instituebant igitur priusquam adoptati ipsi filii essent totam posterorum seriem suos heredes. Itaque non erat reprehendendus qui, cum antea a testatore institutus esset, paulo prius bona omnia possedebat. Nec aliter sentiendum puto de Leochare, qui a patre ipso loco defuncti Leocratis II inductus erat. Nam omnes posteros Leocratis maioris heredes suos esse voluerat Archiades, cur igitur non liceret Leochari quoque stirpem eius propagare? Quid? si pater eius, cum ex Otrynensibus discederet, non Leocratem, sed alterum filium Leocharem reliquisset, quod sine dubio per leges licebat? Accedit quod ipse Leocrates II, priusquam de vita decederet, in suam domum redire potuit non filio, sed eodem illo fratre Leochare in Otrynensibus relicto. Non enim puto me in gravem errorem incidere,

quod ad confirmandam hanc sententiam iterum commemoro legem quam modo attuli, per quam colono Naupactio in patriam redire licebat non solum si filium, sed etiam si fratrem genuinum in sede sua relinqueret. Constat enim colonis erga patriam fere omnia eadem iura atque officia fuisse, quae liberis erga parentes. Ergo quod attinet ad verba §. 68: *τοῖς δὲ ποιηθεῖσιν οὐκ ἐξὸν διαθέσθαι*, quae hac una oratione nobis tradita sunt, censeo cum Schaefero, siquidem Solonis sunt — nam de hac re quidem valde dubito — id unum ea spectasse, ut hereditates in propinquorum manibus manerent neve ab adoptato filio transirent ad homines qui testatori priori alieni prorsus essent. Huc accedit, quod non minus recte Schaeferus vidit: non solum archon cum deponeretur sacramentum sed ne Aristoteles quidem ipse dubitavit, quin Otrynenses essent adversarii, cum *ἀντεγράψατο Ὀτρυνεὺς εἶναι ἐν Ἐλευσινίοις δημοτευόμενος* (§. 39). Nam postea demum cum publicis rebus Leostratus interesset in Otrynensibus, cumque id ageret ut iterum inscriberetur in *ληξιαρχικῷ γραμματείῳ*, hoc impedire studuerunt. Quod tamen ut demotis persuaderetur tantum aberat, ut contra Leochares alter filius eius iisdem comitiis neglecta *δοκιμασίᾳ* in demotarum codice inscriberetur, priusquam nomen eius in phratorum tabulis esset (§. 41. cf. quae exposuerunt Schaeferus l. c. III, add. II p. 20 seq. et 26, et Schoemannus, antiquitates iur. publ. Ath. p. 205, annott. 14 et 18).

De paracatabole. Sed haec de iure quo Leochares Archiadis bona petierit; alia difficultas inest in notione *παρακαταβολῆς*, quam orator dicit Leostratum patrem deposuisse. Ait enim Schaeferus p. 243: „Es heisst, Leostratus habe die Paracatabole für sich erlegt, und zwar, als sei er von Otryne und Sohn des Archiades (cf. §. 39, 42). Dasselbe wird nachher wiederholt, (52) nicht anders, als sei die Erlegung der Paracatabole geschehen, um das Rechtsverfahren über die Erbschaft einzuleiten, und als sei die Diamartyrie im Namen des Leochares auch formell davon verschieden. Dem ist aber nicht so, sondern Leostratus hat erst für sich, und dann als die Adoption seines Sohnes in das Haus des Archiades

vollzogen war, in dessen Namen die Diamartyrie angebracht. Die Paracatabole wurde nämlich in Erbschaftssachen theils von dem erlegt, welcher gegen den Inhaber der Erbschaft seine Ansprüche gerichtlich geltend machte, theils von dem beklagten, sobald er die Diamartyrie anwandte. Jener Fall trifft Leostratos nicht, denn er war im Besitze (§. 11, *οὗτοι δ' ἔχοντες οὐ δικαίως τὰ χρήματα διαμεμαρτυρήκασι νυνί*); demnach bleibt nur übrig, dass er von vorn herein unter Hinterlegung des Einsatzes erklärte, das gerichtliche Verfahren sei unzulässig, d. h. dass er die Diamartyrie zunächst selbst als Sohn des Archiades von Otryne eingab. Als er dann seinen Sohn Leochares substituirt hatte, ward nur der Name umgeschrieben (§. 42. *καὶ μετὰ ταῦτα τῇ διαμαρτυρίᾳ πρὸς τῷ ἄρχοντι τοῦτον* (*τὸν Λεωχάρη*) *ἀπογράφεται* (*Λεώστρατος*) et 55. *διὰ τί ποτε Λεώστρατος αὐτοσὶ οὐχ αὑτὸν, ἀλλὰ τοῦτον ἐπεγράψατο τῇ διαμαρτυρίᾳ*) und Leochares legte nun den Schwur ab, der einmal geleistete Einsatz aber blieb stehen. So, denke ich, lässt sich die Schwierigkeit beseitigen, an welcher Schömann mit gutem Grunde Anstoss nahm (Att. Proz. 619 f). Minime possum hac de re consentire cum docto viro; etenim quamquam id quod Steigerthal (de vi et usu *παρακαταβολῆς* Cellis 1832 p. 10) dicit, diamartyriam non esse a Leostrato interpositam ex eo esse perspicuum, quod lis, quae cum Leostrato instituenda fuerit §§. 40 et 50: *διαδικασία τοῦ κλήρου* non *δίκη ψευδομαρτυριῶν* dicatur, magnam probandi vim non habet, — nam aliis quoque locis patet miscuisse oratorem litium nomina —, tamen obstant haec: Primum, si ab utroque diamartyria adhibita esset, non potest intellegi, cur actor, cuius quam maxime interesse oportebat ostendere, eadem ratione eodemque nomine et Leocharem et Leostratum petere Archiadis hereditatem, de eadem re non eadem verba usurpet, sed quotiescunque patrem et filium commemoret, suam cuique petitionis rationem tribuat, diamartyriam filio, patri paracatabolen (cf. 34, 39, 42, 52, 53, 54 al.). Deinde recte iam Schoemannus vidit (l. c. p. 619 annot.) Leostrati paracatabolae non eandem tribui causam ac diamartyriae Leocharis. Legimus

enim de patre §. 34 *παρακαταβάλλει ὡς υἱὸς Ἀρχίαδου* et §. 39. *ἀντεγράψατο Ὀτρονεὺς εἶναι*, diamartyriae autem formula erat, *μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον κ. τ. λ.* Tum non intellegitur, quonam iure Leostratus intendere potuerit diamartyriam *μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον υἱοῦ ὄντος γνησίου Ἀρχιάδου*, priusquam in phratores et demotas introductus esset [1]), cum filium sese esse statim in interponenda diamartyria certis testimoniis ei confirmandum esset [2]). Fefellit enim Schaeferum sine dubio ratio Schoemanni, qui de lite Attic. p. 618 et 649 paracataboles in causis hereditariis adhibitae duo imprimis genera statuit. Deponi enim solitam esse eam et ab eo, qui adiudicatam hereditatem sibi ipsi posceret et si quis filius aut naturalis aut inter vivos adoptatus diamartyria illa *μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον* adhibita adversarios aut competitores removere studeret. Tertio autem loco cum Leocharea oratio nec in illud nec in hoc genus quadret, inclinavit eiusdem viri docti animus ad suspicandum, etiam ab eo deponi potuisse paracatabolen, qui non adhibita diamartyria tam iustam causam petendi habere sibi videretur, ut omnes reliquos competitores removere posset. Quae divisio quin suspecta sit, nemo dubitat. Augetur suspicio, si fontes spectemus. Etenim etiamsi concedimus auctore lege Mac. 16. *ἐὰν δ' ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου ἢ τῆς ἐπικλήρου, προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν· παρακαταβολὰς δ' εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι κ. τ. λ.* paracatabolen depositam esse ab eo qui adiudicatam hereditatem peteret, tamen non certa ratio adest alterius generis, quo ei utendum fuisse dicitur, qui diamartyriam intenderet. Ad hoc enim genus probandum nulla exstat lex, sed unum tantum exemplum apud Is. de Philoctem. hered. 12 et 43; nam quibus aliis locis diamartyria commemoratur nihil audimus de paracatabole (Is. III, 4, 6 al. V, 16, VII 3; cf. Steigerthal de vi et usu parac. p. 10). Non igitur certum esse puto cum diamartyria semper sacramentum illud coniungendum fuisse.

---

1) cf. §. 40. δεινὸν γὰρ ἐδόκει εἶναι τὸν παρακαταβεβληκότα τοῦ κλήρου εἰσποιεῖν αὐτὸν ἔτι τῶν πραγμάτων ἀκρίτων ὄντων.

2) cf. infra p. 21.

Graviore autem errore implicatus videtur mihi Schoemannus, quod tertium illud genus paracataboles haesitante animo statuit. Multo enim latius patebat sacramenti usus apud Athenienses quam vir doctus censuit. Testis enim est Isaeus, qui de Chariade dicit de Nicostr. hered. §. 10: *αἰσθόμενος δὲ καὶ οὗτος ὅτι περὶ τοῦ γένους ἐλεγχθήσοιτο, τὴν μὲν τοῦ παιδίου ἀμφισβήτησιν παρέλυσεν, ἑαυτῷ δὲ κατὰ δόσιν παρακατέβαλεν.* Erat enim puer ille nec filius naturalis nec petivit adiudicatam hereditatem. Praeterea idem perspicuum fit cum ex Theopompi verbis Is. Hagn. 15. *ἐμοὶ γὰρ, ὦ ἄνδρες, λαχόντι τοῦ κλήρου τὴν δίκην οὔτε οὗτος ὁ νῦν ἐμὲ εἰσαγγέλλων ᾠήθη δεῖν παρακαταβάλλειν ὑπὲρ τοῦ παιδὸς, οὔτε οἱ Στρατίου παῖδες οἱ ταὐτὸ τῷ παιδὶ προσήκοντες, οὔτε δι' ἄλλο οὐδὲν αὐτοῖς ἐνόμιζον προσήκειν τούτων τῶν χρημάτων*, tum maxime ex iis, quae leguntur in [Dem.] Macartatea §. 5. Dicit enim ibi actor Theopompum, cum diadicasia inter fratres uterinos Hagniae et Phylomachen exorta praeco clamitaret: *εἴ τις ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν βούλεται τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου ἢ κατὰ γένος ἢ κατὰ διαθήκας*, non ausum esse *παρακαταβάλλειν*, sed postea demum in ius vocasse Phylomachen. Constat autem tunc temporis nondum adiudicatam fuisse hereditatem [1]); itaque cum optio da-

---

1) cf. quae exposuerunt Schneiderus de iur. hered. Ath. p. 52 et Steigerthalius l. c. p. 5 ann., quem locum integrum subiungere mihi liceat: Ait enim: Adiudicanda agitur hereditas l. l. etsi Isaeus non consentit in oratione de eadem her. Hagn. hab. §. 9. Narrat enim Theopompus, qui causam dicit, post mortem Hagniae minoris, cuius hereditas fuit, defuncta etiam filia adoptiva, Glauconem ex testamento hereditatem accepisse. Hoc si esset, mox cum hereditatem Phylomache minor peteret, mulier non adiudicandam sed adiudicatam petivisset. Atqui τὴν παρακαταβολὴν in adiudicata semper fuisse et unicam rationem vindicandi constat; quamobrem mirarer, optio si inter ἀμφισβητεῖν et παρακαταβάλλειν daretur. Res haec est: Post mortem τῆς ἀδελφιδῆς quam Hagn. adoptaverat, Glauco cum testamento haud dubie falso archontem adiit, hereditatem petiturus. Hoc enim facere debebat etiam qui testamento adoptatus esse contendebat (Meier et Schoem. p. 461), nec βαδίζειν εἰς τὸν κλῆρον licebat, ut naturali heredi (M. et Schoem. p. 459). Iam praecone invitante, εἴ τις κ. τ. λ., Eubulides, Phylomachae minoris pater et ipse ius suum deferebat, qui cum paullo post obiisset, filiae nomine causa continuata, Sositheus maritus hereditatem nactus est. Ita fuisse, ex. Dem.

retur inter ἀμφισβητεῖν et παρακαταβάλλειν ἢ κατὰ γένος ἢ κατὰ διαθήκας, concedendum est, etiam in adiudicanda hereditate paracatabolen adhiberi potuisse. Id tantum quaeritur quid intersit inter notiones ἀμφισβητεῖν et παρακαταβαλεῖν. Ad hoc autem cognoscendum idem Macartateae scriptor satis clara indicia praebere videtur. Etenim non est id omittendum, quod orator addit §. 5. οὐκ ἐτόλμησε παρακαταβάλλειν. Consentaneum enim est oratorem hoc non dicturum fuisse, nisi in Theopompo praeter ceteros omnia ea fuissent, quae ad sacramentum deponendum necessaria erant. Erat autem is Hagniae nec filius naturalis, ut ita dicam, nec adoptatus, nec intendere potuit diamartyriam μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον, sed si quidem iam tum παρακαταβαλεῖν potuit, hoc nullo alio iure licuit, nisi quo postea hereditatem possidebat, hoc est, quod proximum se esse genere postea demonstravit. Est igitur, ut Schoemanni numerum servemus, tertium genus paracataboles, quod is intendere poterat, qui cum optimo hereditatis vindicandae iure sibi videretur uti, competitores removere volebat. Hac ratione etiam intellegimus quantum differat a notione ἀμφισβητεῖν. Etenim quod Heffterus (die attische Gerichtsverfassung p. 276, ann. 12) et Carolus de Boorius (das attische Intestaterbrecht p. 97 sq.) contenderunt synonyma esse ἀμφισβητεῖν et παρακαταβάλλειν, ipsis illis praeconis verbis refutatur [1]). Constat inter omnes παρακαταβολὴν eam fuisse litis formam, qua quis decimam partem controversae hereditatis in iudicio deponeret, quae si causa cecidisset, poena victori solveretur [2]), ἀμφισβήτησις autem usitata est forma litis, qua quis simpliciter hereditatem postulabat. Continet ergo paracatabole semper ἀμφισβήτησιν, nunquam autem am-

quoque potest intelligi. Isaeus mendacii merito coarguitur, non uno illo loco orationis, quo mendacio Glauconi favet sibique ipsi eiusdem fraudis aliquando sociis. Quare adiudicanda erat hereditas, cum a Phylom. peteretur; nec assentior verbis Schoemanni ad Is. 450: „hereditas igitur Hagniae ex testamento defertur ad Glauconem. Sed huic controversiam movet Eubulides ille minor."

1) Ne Schoemannus quidem recte de hac re disputavit de lit. Att. p. 464.

2) cf. Isaei or. Nic. 11.

phisbetesis paracatabolen, παρακαταβολή forma gravior est, ἀμφισβήτησις levior [1]). Optime etiam quadrant in hoc tertium paracataboles genus, quae apud Pollucem legimus VIII, 32: παρακαταβολὴ δὲ ὅστις ἀντιλέγει ὡς αὐτὸς δικαιότερος ὢν ἔχειν τὸν κλῆρον ἐξ ἀγχιστείας ἢ διαθηκῶν, de quibus conferendus est Schoemann. p. 119. Praeterea commemoro Bekk. anecd. p. 192: παρακαταβαλεῖν τὸ διδόναι ἐγγυὰς ὅτι δικαίως ἀπαιτεῖ. Hariolantur autem Harpocration et Suidas sub verbo ἀμφισβητεῖν.

Praeterea ne id quidem concedo, hoc tertium paracataboles genus legibus iussum fuisse interponi: licitum concessumque erat, si quis competitores removere volebat. Nam ne quis temere sacramentum deponeret satis cautum ac provisum erat, cum pecunia esset decima pars totius hereditatis. Cetera quidem duo genera quin legibus sancita esse potuerint, non dubitabimus, quoniam et is qui adiudicatam hereditatem petebat et qui diamartyriam interponebat satis accurate verbis definiri potuit. Tertium genus non potuit. Etenim ut omittam a veteribus nullam legem nullumque exemplum nobis traditum esse, quo doceamur talibus in causis utique paracatabolen adhibendam fuisse: ne intellegimus quidem quemadmodum hoc fieri potuerit. Nam si lex praecepisset, ut qui optimo iure hereditatem peteret sacramentum deponeret, antea diiudicandum erat, quis esset proximus, id est ea diadicasia, ad quam minuendam aut vitandam lex si qua fuisset spectavisset, antea instituenda erat. Sin autem leges hoc ita voluntati litigantium permisissent ut iuberent, eum qui optimo iure u t i s i b i v i d e r e t u r paracatabolen pendere, fieri potuit, ut nemo deponeret, cum nemo tam arta propinquitate esset, ut suis rebus ne paullulum quidem diffideret. Quid autem postea de eo fieret, qui superior decesserat? num erat obnoxius legis laesae aut tenebatur poena paracatabolae non depositae? Minime hoc fieri potuit. Quodsi tamen competitores ipsi suos propinquitatis gradus conferebant, priusquam diadicasia institueretur, fieri potuit, ut aut omnes praeter unum desisterent — et tum fuit

1) cf. quae expos. Schneid. l. c. p. 50.

necessaria nec diadicasia nec paracatabole — aut si complures eodem gradu cum defuncto cohaerere sibi videbantur inter eos deposito sacramento lis instituenda erat. Haec autem si ita erant, non possumus de lege cogitare, sed licentiam eam fuisse concedendum est, qua litium numerus minueretur; quod iterum optime quadrat in praeconis verba εἴ τις — βούλεται. Potuerunt igitur cives etiam non adhibita παρακαταβολῇ ius accipere. Sed si unus tantum deposuit, ceteris aut item deponendum aut de lite desistendum erat. Quare in alteram partem Schoemannus erravisse mihi videtur, cum in adnotationibus ad Isaeum p. 378 nimium contra tribuens tertio generi paracataboles diceret, pro verbo ἀμφισβητεῖ in argumento orationis VIII posito accuratius dicendum fuisse παρακαταβάλλει πρὸς τὸν ἀδελφιδοῦν, cum actor adversario eam petitionem opponeret, qua illum hereditate plane excluderet. Potuit hoc quidem ita esse, sed pro certo non habendum est.

Nunc satis firmo iacto fundamento redire possumus ad Leostratum minorem. Administraverat is sine dubio vivo filio hereditatem; itaque cum mortuus esset Leocrates possidebat eam quidem reapse et veritate (§. 11) sed tamen non a iudicibus legibusque institutus. Quod ut consequeretur necesse erat eum iterum in Otrynensium codice ληξιαρχικῷ [1]) inscribi. Hoc autem cum fieri non posset nisi diebus ἀρχαιρεσιῶν, id est ineunte proximo anno, cumque Aristoteles et filius statim mortuo Leocrate II hereditatem peterent, nihil reliquum erat, nisi ut omnibus viribus impedire studeret, quominus statim illi hereditatem acciperent. Itaque initio, cum causa institueretur, adhibito tertio illo paracataboles genere Aristodemum removere conatus est, sperans fortasse eum qua erat paupertate contra pensurum non esse, et si tamen penderet sese, priusquam res diiudicaretur, in demotas receptum fore. Tum autem, cum ipse inscribi prohiberetur, diamartyriam cum filio interea introducto addidit, quam ipse solus antea intendere non potuerat. ὡς υἱὸς autem ipse antea paracatabolen deponere potuit (§. 34) per speciem quandam iuris, cum testes

1) cf. quae exp. Schaef. add. p. 26 sq.

tunc non opus essent, sed ipsa pecunia ad confirmandam eius sententiam sufficeret. Hoc modo puto facillime explicari difficultatem. In errorem ergo delapsi sunt Schoemannus et Schaeferus, cum paracataboles tertium genus non satis perspexissent. Schaeferus praeterea non respexit, ad diamartyriam intendendam certis opus fuisse testimoniis (cf. infra).

His expositis una mihi in causae natura difficultas restare videtur. Dissentiunt enim docti viri inter se non solum a quo intenta sit diamartyria sed etiam in utrum potius directa sit oratio. Atque Schaeferus quidem et Blassius stant a parte Schoemanni, qui contendit, intentam esse diamartyriam a Leochare, non a patre, orationem autem magis patrem quam filium spectare [1]. Offenditur tamen Schoemannus, quod Leochares, cum ipse contendat hereditatem non posse in iudicium vocari, tamen ipse filios se esse testis exstitisse videatur. Platnerus contra [2]) ait diamartyriam testimoniumque intenta esse non a filio Leochare sed a patre Leostrato, quare in eum graviorem fieri impetum. Qua in dissensione doctorum virorum videtur usui esse vim et rationem diamartyriae accuratius paullo explicare. De diamartyria.

Legimus enim apud Harpocrationem sub verbo *διαμαρτυρίας* [3]), licuisse priori ei qui accusaret testibus adhibitis confirmare rem posse in iudicium vocari. Quod si non confirmasset, reum potuisse eadem illa diamartyria contendere, non controversam esse rem. Facta autem diamartyria ab altero alteri licuisse adversarii testes *ψευδομαρτυριῶν* postulare. Addendae autem erant ad hanc diamartyriam, cum in tabula scripta archonti traderetur, certae quaedam causae — comprobationes in continenti liquidae, ut dicunt viri iuris periti — a reo, qua de causa non controversa esset res, ab eo qui accusavit, cur res controversa esset, et utercunque adversario obnitebatur, prior apud iudices dicebat, non sicut in simillima causa *παραγραφῆς* is, qui mutuam accusationem instituerat. Patet igitur in causa diamartyriae duos reos segregandos esse,

1) Schoem. de lit. Att. p. 643 ann. 32.

2) Process und Klage bei den Attikern I, p. 619.

3) cf. etiam Suidae lex. sub hoc verbo et Schoem. l. c. p. 639.

alterum, pro quo diamartyria intenta sit, et alterum, qui aut solum testimonium aut testimonium cum diamartyria coniunctum dederit. Si testis falsi testimonii convincebatur, diamartyria irrita fiebat, atque maior lis redintegrabatur. Testimonium autem, quoniam in alterius commodum aut incommodum fiebat, ab unoquoque dici poterat, qui quidem rei habebat scientiam. Itaque non offendendum est quod compluribus exemplis docemur, ipsum *κύριον*, ut Graeci dicunt, qui maiorem litem intenderat, pro mulieribus et pro liberis diamartyriae ab ipso intentae testem saepe exstitisse. Cuius generis exempla nonnulla exstant apud Isaeum. Is enim narrat in tertia oratione (§. 3, 4), quae est de Pyrrhi hereditate, Xenoclem, qui ut *κύριος* pro uxore sua Phile hereditatem peteret, interposuisse diamartyriam, non posse hereditatem a sorore Pyrrhi peti, cum uxor sua filia esset Pyrrhi legitima. Narratque actor, ipsum illum testatum esse, ipsumque falsi testimonii convictum esse. Usus autem erat ad hoc testimonium confirmandum Xenocles Nicodemi, Philae avunculi, testimonio, qui sororem suam, Philae matrem, Pyrrho rite ac legitime a se desponsatam esse testatus erat. Itaque damnato Xenocle in eum quoque invectus est Endii frater. Praeterea oratio de Philoctemonis hereditate (VI) spectat in Androclem quendam, qui ut tutor pro duobus Alces cuiusdam filiis hereditatem petiverat atque diamartyria intenta testatus erat superesse legitimos Euctemonis filios, Philoctemonem autem intestatum obiise. His igitur exemplis probatur quod dixi tutorem et interponere diamartyriam et interpositae testem exsistere potuisse.

Exstant porro exempla diamartyriae non ab ipso eo intentae, qui maioris litis particeps erat, sed ab homine prioris litis prorsus alieno, quod quidem fieri potuisse auctor est Harpocration, cum dicat *τῷ βουλομένῳ* hoc licuisse. Legimus enim in oratione de Dicaeogenis hereditate (V) contra consobrinum mortui Dicaeogenis habita §. 16: *μελλόντων δ' ἡμῶν ἀντόμνυσθαι διεμαρτύρησε Λεωχάρης οὑτοσὶ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον ἡμῖν. ἐπισκηψαμένων δ' ἡμῶν ἡ μὲν λῆξις τοῦ κλήρου διεγράφη, ἡ δὲ τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκη εἰσῄει. — πολλὰ δὲ Λεωχάρους ἀνταπολογησαμένου, ἔγνωσαν τὰ ψευδῆ μαρτυρῆ-*

σαι Λεωχάρην οἱ δικασταί. Praeterea oratio de Meneclis hereditate (II) habita est pro Philonide quodam, qui diamartyriae testimonium pro genero suo a Menecle iamdudum adoptato dixerat. E quibus exemplis quamquam non perspicuum fit, utrum, quod mihi verisimile est, ipsi qui lites maiores agebant diamartyria intenta testes illos Leocharem et Philonidem citaverint, an illi sua sponte et diamartyriam instituerint et testimonia dederint, — nam verba illa de Dicaeog. hered. §. 16. διεμαρτύρησε Λεωχάρης et de Menecl. 2 ὁ μάρτυς διεμαρτύρησε τ' ἀληθῆ, 17. ὁ μάρτυς τ' ἀληθῆ διαμεμαρτυρηκώς utroque sensu, et de diamartyria in tabula inscripta et de testimonio intellegi possunt [1]) — tamen id satis apparet in quo rerum cardo versatur, non ab ipsis eis, pro quibus diamartyria facta erat, testimonia causae dicta esse. Probatur etiam hoc a Thrasyllo (de Apoll. VII, 3) his verbis: ἐγὼ δ' εἰμὲν ἑώρων ὑμᾶς μᾶλλον ἀποδεχομένους τὰς διαμαρτυρίας ἢ τὰς εὐθυδικίας, κἂν μάρτυρας προὐβαλόμην μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον ὡς ποιησαμένου με υἱὸν Ἀπολλοδώρου κατὰ τοὺς νόμους, quibus verbis cum testes se producturum fuisse affirmat ipsum se testimonia dicere non potuisse ostendit. Testi autem nisi causam nihil probandum fuisse cognoscimus cum ex omnibus his quae dixi tum maxime ex Lysiae oratione in Pancleonem habita §. 13. cum dicat orator, adversarium non in ius vocasse testem, a quo διεμαρτυρήθη μὴ Πλαταιεὺς εἶναι.

Sed iam redeamus ad Leochaream orationem. Mirum in modum erravit Platnerus p. 169 quod dixit a Leostrato pro filio intentam esse diamartyriam. Rectius Schoemannus, Schaeferus, Blassius contenderunt, filium eam instituisse a patre incitatum. Probatur hoc cum tota oratione, tum maxime §. 44. ὡς ὁ νῦν διαμεμαρτυρηκὼς πρότερον εἰς τοὺς δημότας ἢ εἰς τοὺς φράτερας ἐνεγράφη, et §. 54 seq., quae de Leostrato nequaquam intellegi possunt. Accedit quod causa illa,

1) Auctor est Harpocration, ab Hyperide aliisque oratoribus verba quae sunt διαμαρτυρεῖν et μάρτυς non solum de eo dici qui intendat diamartyriam, sed etiam qui testimonio illo υἱός ἐστι sim. eam confirmet, cf. Platn. I p. 170, Schoem. l. c. 639 annot. 25.

υἱῶν ὄντων γνησίων, in qua nitebatur diamartyria, salvo iure de solo Leochare dici potuit, cum ipse, non pater, in Otrynensium demotarum codice inscriptus esset. Itaque id tantum quaeritur, quod ex oratoris verbis non liquet, uter diamartyriae testimonium addiderit. Cum autem manifestum videatur ex iis quae adhuc disputavi, Leocharem ipsum diamartyriae testem esse non potuisse, inclinat animus ad suspicandum testimonium illud, *υἱός ἐστι τοῦ Ἀρχιάδου*, datum esse a patre; quod quin fieri potuerit nemo dubitat, et, si factum esset, omnia fierent perspicua. Etenim recte putaret Schoemannus pro vero adversario habendum esse Leostratum, et verba §. 27, quibus Leostratus appellatur: *διαμαρτυρεῖς δὲ πρὸς ἡμᾶς τὸ ὁμολογούμενον γένος ἐξελαύνων* referenda essent ad testimonium. Nec ulla nobis moveretur difficultas, quod Leochares una cum patre compellatur, nam is, cuius in commodum agebatur, iure iudicio interesse potuit patrem testem adiuturus, sicut Menecles II Philonidem socerum (Is. II). Turbantur autem haec omnia ab actore cum dicat, intentam esse diamartyriam *γνησίων ὄντων παίδων* (§. 46) plurali numero, nempe cogitans de patre Leostrato et de filio Leochare. Nam si pater testatus esset, testimonium hoc esset et de filio et deo ipso, quamquam ne Otrynensis quidem erat. Attamen nunquam Leocharem ipsum, qui instituerat diamartyriam, testem esse potuisse supra ostendi. Nullum igitur video exitum, quo ex his difficultatibus ducamur, praesertim cum actor clarissimis verbis probet Leostrato ipsi quoque diamartyriam intendere licuisse: §. 55. *ἐπεὶ κἀκεῖνο. διὰ τί ποτε Λεώστρατος οὑτοσὶ οὐχ αὑτὸν, ἀλλὰ τοῦτον ἐπεγράψατο τῇ διαμαρτυρίᾳ; τὰ γὰρ πρεσβύτερα τῶν πραγμάτων τὸν πρεσβύτερον ἔδει διαμαρτυρεῖν.* Nam hoc modo interrogare non potuit Aristotelis filius nisi ipse putasset diamartyriam ab eo institui potuisse. Ac ne coniectura quidem haec corrigi possunt, cum non uno loco, sed compluribus paragraphis hac de re agatur. An censemus tam imperitum rerum iudicialium fuisse oratorem, ut diamartyriae rationem non satis novisset? Concedo quidem, non magna eum fuisse rerum forensium peritia, mox enim hoc probabo, sed tamen licet verba illa §. 55. ex ignorantia profecta sint, qui potuit contendere coram iu-

dicibus et coram adversariis, cum in manibus esset tabula conscripta, diamartyriam ad ambos illos pertinere? Qui porro potuit haec pauca verba tam copiose refutare ut complures paragraphos reprehensione impleret? Nullam igitur habeo explicationem nisi concedamus aut post tempora Isaei scripta esse haec, aut, quod cum desit adversarii oratio disquirere non possumus, in calumniarum artibus haec esse numeranda.

Iam si omnia quae adhuc de causa exposita sunt animo comprehendimus, apparet, cum Aristodemus et filius id quod simulare student, Leocratem maiorem sua sponte in domum Archiadis irrepsisse, ita non in suum commodum convertant, ut contra concedant eum iuste ac rite adoptatum esse et per ἐμβάτευσιν hereditatem cepisse, cumque Leochares nulla lege prohiberetur in loco defuncti fratris Archiadis stirpem propagare, iniuria hereditatem Archiadis controversam factam esse. Praeterea paracatabole deposita est a Leostrato II non cum diamartyria coniuncta, sed haec postea demum addita est a Leochare cum in Otrynensium codice inscriptus esset. Haec igitur omnia congruunt cum veterum consuetudine et usu. Scrupulus tamen inicitur animo de diamartyria ipsa, cum testimonium υἱός ἐστι κτλ. ab ipso Leochare datum esse orator contendat. Nam quod Schoemannus suspicatur [1]) per falsam quandam analogiam confirmationem Leocharis testimonium esse dictum, probari non potest, nisi intellexerimus, ipsum eum, in quem diamartyria spectaret, diamartyriae testem esse potuisse.

Nunc priusquam veniamus ad alteram commentationis huius partem, qua sententiarum nexus orationis perlustrandus mihi videtur, praemonenda sunt pauca de huius litis nomine, in quo dicendo mirum in modum actor erravit. Etenim contra diamartyriam a Leochare interpositam hanc orationem intentam esse idque solum spectare, ut ostendat eam falso et iniuste factam esse ab adversariis, hoc patet cum ex tota argumentandi ratione tum maxime ex paragraphis 1, 45, 57—59. Si autem de nomine huius litis quaerimus, quae quasi prolu- De litis nomine.

1) de lit. Att. p. 644.

sio erat illius maioris, ex qua diamartyria orta erat, minime probatur veterum testimoniis quod legimus §. 7. ἔστι γὰρ ὁ μὲν ἀγὼν οὑτοσὶ κλήρου διαδικασία et §. 13. ὑπὲρ οὗ τοῦ κλήρου τὴν ἐπιδικασίαν ποιούμεθα νυνί. Immo recte videtur mihi intellexisse Dobraeus, dicendam esse orationem κατὰ Λεωχάρους ψευδομαρτυριῶν. Nam primum per se consentaneum est, contra testimonium per fraudem datum lite ψευδομαρτυριῶν agendum fuisse. Praeterea tradita sunt multa testimonia compluresque orationes et Isaei et aliorum ad tales causas spectantes. Legimus enim apud solum Isaeum quattuor orationes in simillimis causis habitas, de Meneclis, de Dicaeogenis, de Pyrrhi, de Philoctemonis hereditatibus, quarum ex unaquaque cognoscimus, diamartyriae auctores, Philonidem, Leocharem, Nicodemum, Androclem, postulatos esse ψευδομαρτυριῶν, quod vocabulum recte usurpatum et in titulo orationis de Pyrrhi hereditate a Scheibio ex Harpocrationis libro (s. v. προσεποιήσαντο p. 159, 22 Bekk.) restitutum et in ipsis orationibus legitur (Confer de Pyrrhi hered. hypoth. Ξενοκλῆς λαχὼν τῶν χρημάτων ὑπὲρ Φίλης, τῆς αὑτοῦ γυναικός, διεμαρτύρησεν εἶναι αὐτὴν γνησίαν Πύρρου θυγατέρα. — καὶ ἑάλω ψευδομαρτυριῶν, Νικοδήμου καὶ αὐτοῦ μαρτυρήσαντος κτλ. in oratione ipsa §. 4. ἐκεῖνόν τε ἐξελέγξαντες τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκην εἵλομεν παρ' ὑμῖν. §. 24, de Dicaeog. 15, 16; III 3. 6. 7. 12; V 19, alia permulta). Removebatur interea maior lis dum minor contra testes ad finem perducta esset, quod quidem usu venisse ex verbis de Dicaeog. h. §. 16. cognoscimus (ἡ μὲν λῆξις τοῦ κλήρου διεγράφη, ἡ δὲ τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκη εἰσῄει). Sed ne videar ex Isaeo solo testimonia petere commemoro orationem Lysiae contra Pancleonem habitam et Dinarchi ἀπολογίαν διαμαρτυρίας πρὸς τὴν Χάρητος εἰσαγγελίαν, quae a Dionysio (t. 5, 653 R.) commemoratur, deinde quod ait Harpocration sub verbo διαμαρτυρίας: ἐπεσκήψαντο δὲ ψευδομαρτυριῶν καὶ διαμαρτυρίαις ὥσπερ ταῖς μαρτυρίαις [1]), tum Pollux VIII, 33. ἐπίσκηψις δὲ εἴ τις τὴν διαμαρτυρίαν ὡς ψευδῆ αἰτιῷτο, ubi tamen notan-

1) idem apud Suidam.

dum est, verbum quod est *ἐπίσκηψις* non idem prorsus significare quod *δίκη ψευδομαρτυριῶν* [1]), sed *ἐπίσκηψις* est praemunitio quaedam iuris, qua is in quem intenditur diamartyria confirmat se adversarium *ψευδομαρτυριῶν* postulaturum esse [2]). Quod si concedimus, in causa *ψευδομαρτυριῶν* habitam esse orationem, satis apparet, actorem verbis §. 7. *ἔστι γὰρ ὁ μὲν ἀγὼν οὑτοσὶ κλήρου διαδικασία* non recte huius litis genus significare. Transtulit enim prioris atque gravioris certaminis nomen ad minorem causam, quae ex illa coorta erat. Est enim diadicasia [3]) lis sive contentio de nullo non genere actionis forensis, sive unus alterum sive ambo sese mutuo persequuntur cum aliis quibuslibet de causis, tum maxime ob pecunias aut merces, fundos, hereditates, alias res, de quibus disceptatur, atque prior verbi pars quae est *διὰ* nihil significat, nisi aut duos aut plures homines mutuo inter se de re aliqua certare (cf. quae dixit Küster ad Arist. equit. 1400, et Passowii lexicon. I, p. 629, a. C.). Itaque res, de qua est *διαδικασία*, vocatur *διαδίκασμα*, sive merces, sive pecunia, sive hereditas erat. Hac autem lite, de qua nunc disputamus, non agitur hereditas Archiadis, sed refellitur redarguiturque *διαμαρτυρία* Leocharis, quae e diadicasia orta erat. Nam cum Aristodemus eiusque filius per *ἐξαγωγήν* (§. 32) e domo Leocratis mortui expulsi apud archontem hereditatem petiverunt,

1) Contenderunt hoc Bentleius in Opusc. p. 338 et Meierus Schoemannusque de l. Att. p. 385.

2) Probatur hoc ab C. F. Hermanno, qui in antiqu. Graec. I, §. 141, 10. hos locos affert: Vestig. instit. vet. p. 69 sq. Schol. Plat. leg. p. 871 E ἐπισκήπτεσθαί φασι μαρτυρίας ἢ γραμμάτων τὸ ποιήσασθαι διάλυσιν τοῦ ἐγκλήματος, τὴν μαρτυρίαν οὖ ἐπισκήπτονται· παραδιδόασι δὲ ταῦτα σημηνάμενοι μέχρι τοῦ χρόνου τῆς δίκης κτλ. cf. etiam Thesaur. L.G. III. p. 1776 ed. Dindorf. Ex Isaei oratt. mihi in promptu sunt III, 3, 11, 14, 66. V, 17.

3) cf. quae exposuerunt Meierus et Schoemannus de l. A. p. 367 seq. Platner, Prozess und Klage II, p. 17, Heffter att. Gerichtsverfassung p. 272. Schoem. de iur. publ. Ath. Hesych. Harpocr. sub h. verbo, Bekk. anecd. 236. 16. qui dicit. οὐχ ἁπλῶς πᾶσα δίκη διαδικασία καλεῖται, ἀλλ' ἐν αἷς περί τινος ἀμφισβήτησίς ἐστιν, ὅτῳ προσήκει μᾶλλον, σημειωτέον δέ, ὅτι διαδικασία λέγεται καὶ ὅταν δημευθείσης οὐσίας δικάζηταί τις πρὸς τὸ δημόσιον, ὡς ὀφειλομένων αὐτῷ χρημάτων ἐν τῇ δημευθείσῃ οὐσίᾳ.

tum obstante Leostrato orta est διαδικασία, cum διάδικασμα esset hereditas et duo exstitissent adversarii de re familiari certantes. Itaque recte prior illa lis, in qua paracatabole interposita est a Leostrato, diadicasia dicitur (§. 40, ἐπειδὰν τοῦ κλήρου ἡ διαδικασία γένηται et 50, ἤδη τῆς τοῦ κλήρου διαδικασίας ἐνεστηκότος). Hanc autem litem, ad quam spectat oratio accurate non dixit orator κλήρου διαδικασίαν.

Hoc vero si intellexerimus concedendum etiam puto, non minus perverse dixisse oratorem §. 13. Ἀρχιάδης, ὑπὲρ οὗ τοῦ κλήρου τὴν ἐπιδικασίαν ποιούμεθα νυνί. Erat enim ἐπιδικασία proprium nomen actionis tradendae, adiudicandae hereditatis, quae erat penes archontem eponymum qui dicitur, cum notum iam perquisitumque esset quis summo iure heres esset habendus. Etenim per solam ἐμβάτευσιν hereditatem capere nemini licebat praeter filios et nepotes γόνῳ γεγονότας, siquidem cives erant Athenienses, et qui inter vivos adoptati erant [1]. Omnibus autem ceteris, et testamento adoptatis et agnatis id erat observandum quod legimus apud Dionysium Halic. iud. de Is. (R. O. G. VII p. 346) οὐ δεῖ τὸν ἐπίδικον κρατεῖσθαι κλῆρον πρὸ δίκης [2]. Probandum enim iis erat apud archontem, quo testamento, qua adoptione, qua ἀγχιστεία heredes esse vellent; quae actio petendae hereditatis ἐπιδικασίαν ποιεῖσθαι dicebant. Publice deinde haec rogatio in tabula magistratus (σανίς, λεύκωμα) inscripta proponebatur, legebaturque in proxima contione publica, ut quicunque hereditatem aut epiclerum sibi vindicare vellent rerum notitiam haberent. Si post aliquot dies nemo affectabat hereditatem, ἐπεδίκασεν eam archon; sin competitoribus obstantibus hereditas in iudicium venit, διαδικασία fiebat, in qua, cum nemo esset accusator aut accusatus, die constituta sua quisque iura, sponte, non arcessitus, adhibitis testimoniis exponebat. Tum vero, nisi diamartyria illa, οὐκ ἐπίδικον κ. τ. λ. interposita erat, cum suffragio facto

1) cf. Is. de Pyrrhi hered. 59—63, de Cir. hered. 34. Bekk. anecd. I, 183, 26, et qui de hac re scripserunt, Schoemannum ad. Is. 394; Hermann. ant. gr. III. 66, 1; Schneid. de iure her. p. 46. al.

2) cf. Schoem. ad Is. p. 408 seq., et 446 et Ps. Dem. XLVI. 22.

iustus heres cognitus esset, archon quam diximus *ἐπιδικασίαν* fecit. Hunc esse sensum vocis *ἐπιδικασίας* ex sexcentis oratorum et grammaticorum locis cognoscimus. Sunt mihi in promptu Ps. Dem. Mac. 7 *προσεκαλέσαντο τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου, φάσκοντες τὸν νόμον κελεύειν παρὰ τοῦ ἐπιδεδικασμένου καὶ ἔχοντος τὸν κλῆρον προσκαλεῖσθαι ἐάν τις κ. τ. λ.* 13. *ἐγὼ — ὅ τὴν Εὐβουλίδου θυγατέρα ἔχων ἐπιδικασάμενος ὡς γένει ὢν ἐγγυτάτω.* Ps. Dem. XLVI, 22. *νόμον —, ὅς κελεύει ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν ἐπικλήρων ἁπασῶν, καὶ ξένων καὶ ἀστῶν.* Isaeus III, 43, 44, 52, 53, 58, 59, 60, 61, 67, 69, 74; XI, 15, 26.

At vero ne quis credat verbis illis §. 13. *ὑπὲρ οὗ τοῦ κλήρου τὴν ἐπιδικασίαν ποιούμεθα* nihil aliud significari quam „perficere studemus ut hereditas nobis tradatur," velutsi *ποιεῖσθαι τὴν ἐπιδικασίαν* ideo dictum sit, quod oratio tamen ad hereditatem adipiscendam spectet, quoniam Aristodemus et filius victis adversariis eam ab archonte petere potuerint, hoc est tenendum: Etiamsi superiores facti essent tantum tamen aberat ut *ἐπιδικασίαν* petere possent, ut contra redintegrata diadicasia hereditas Leochari adiudicari posset. Praeterea *ἐπιδικασίαν ποιεῖσθαι* semper significat rogationem illam ferre ad archontem [1]), quod propter verbum *νυνί* adiunctum in hunc locum minime quadrat. Erravit ergo orator apertissime. Si quidem litis nomen dicere voluit, potuit dicere nec *κλήρου διαδικασίαν* nec *ἐπιδικασίαν*; multo autem minore iure addidit in causa *ψευδομαρτυριῶν: ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία, παρὰ δὲ τούτων κατὰ ποίησιν* (§. 7). Atqui hoc nobis concedendum est, tam perverse tamque inepte neminem litium nomina commutare potuisse, nisi qui leges iudiciorumque rationem penitus non cognovisset. Sed quis est quin sciat, hoc minime in Demosthenem cadere, qui iam a prima fere aetate, cum sibi adversus tutores litem agendam esse intellexisset, Isaeo praeclaro atque in foro versatissimo homine usus magistro omnem cu-

1) cf. Meier et Schoem. d. l. Att. p. 464, Schoem. ad. Is. p. 446, Isaeus III. 58, 61, al. Reiskii ind. Dem. p. 233 seq.

ram atque operam in rebus forensibus et legibus cognoscendis posuerat et cuius testes sunt orationes in simillimis causis παραγραφῆς habitae.

Occurrat tamen fortasse animo, hos duos locos a grammaticulo quodam additos esse posse, sive rem explicare sive memoriam suam refricare volebat. Concedo quidem hoc fieri potuisse et meum esse refutare. De interpolationibus autem cum certum iudicium nisi contextu totius partis et ratione sententiarum perlustratis facere non possimus cumque praeterea permultis locis partim cum evidentia partim cum verisimilitudine quadam — quae tamen non satis accurate inter se distingui possunt — demonstrare posse mihi videar, ab ipso oratore non perfectam esse orationem, liceat nobis, ne bis vel ter idem facere cogamur, totius orationis cursum perscutari, praesertim cum sic etiam addere possimus, quantum disponendi et argumentandi ratio abhorreat a more et ingenio Demosthenico.

III.

Orationis cursus percensetur.

A. De prooemio.

A. Ac de prooemiis quidem Demosthenicis aptissime dixisse videtur mihi Siggius [1]: Der prooemien zweck ist es, die zuhörer aufmerksam, gelehrig, wohlwollend zu machen [2]. Demosthenes genügt allen diesen forderungen, indem er kurz das thema angibt und zugleich die für seine partei günstigen momente hervorhebt, während er die ungünstigen entweder sofort discreditirt oder als nichtig zu erweisen verspricht. Der gewandtheit und schlechtigkeit der gegner gegenüber stellt er sich als ungewandt und unerfahren hin, indem er nur gezwungen nach mehreren vergeblichen versuchen zu gütlichem ausgleich die klage führe. Bei öffentlichen und womöglich auch in privatreden weist er auf die wichtigkeit des prozesses für den staat hin.

1) Jahrbücher für class. Philologie Suppl. VI p. 415.
2) cf. Volkmann, Rhetorik d. Griech. u. Roemer p. 89 seq.

Iam vero Leochareae orationis prooemium duas habet partes, quarum prior est §§. 1 — 4, altera 5 — 8 prothesin continet. Est autem prior pars tam perspicua tamque egregia arte composita, ut nulla alia parte orationis superetur. Etenim primum cum in unaquaque paragrapho inde a fine §. 4. complures foedi hiatus insint, in hac parte unus tantum invenitur in fine §. 4: *τῷ δικαίῳ ἐπιστεύομεν*. Praeterea egregia arte observantur praecepta, quae veteres de prooemii ratione tradiderunt, ut iudices benevolos attentos dociles orator faceret. Proficiscitur enim actor a causa et adversariorum personis ita, ut cum rem ante oculos ponat statim in adversarios culpam apud iudices agendi convertat. Se ipsum de hereditate petenda cedere non potuisse cum res publica et pietas erga mortuum Archiadem iustum heredem poscerent, illos autem per fraudem bona ipsi eripuisse. Orat deinde, quod iisdem verbis expressum saepius et apud Demosthenem et apud alios oratores reperimus, ut ipsum iudices iuvent hereditatemque tribuant. Causae autem petendi quae sequuntur tam accurate collocatae sunt, ut ratio quaedam studiumque disponendi non cognosci non possit. Dicit enim actor post verba *βοηθῆσαι τῷ τε πατρὶ τούτῳ καί ἐμοὶ κ. τ. λ.* non solum prius de patre suo, ut iudicum benevolentiam commemorato pietatis officio sibi conciliet [1]), sed etiam quae adduntur: *ἐὰν λέγωμεν τὰ δίκαια* et *μὴ περιιδεῖν πένητας ἀνθρώπους καὶ ἀσθενεῖς καταστασιασθέντας ὑπὸ παρατάξεως ἀδίκου* egregie respondent sententiis quae sequuntur: *ἡμεῖς μὲν γὰρ ταῖς ἀληθείαις πιστεύοντες εἰσεληλύθαμεν καὶ ἀγαπῶντες, ἄν τις ἡμᾶς ἐᾷ τῶν νόμων τυγχάνειν* et *οὗτοι δὲ τῇ παρασκευῇ καὶ τοῖς ἀναλώμασιν ἰσχυριζόμενοι διατετελέκασιν, εἰκότως, οἶμαι· ἐκ γὰρ τῶν ἀλλοτρίων ῥᾳδίως ἀναλίσκουσιν, ὥστε καὶ* — Deinde §. 4. additur documentum paupertatis: *ὁ δὲ πατὴρ οὗτος — ἅμα τῆς πενίας, ὡς ὑμεῖς ἅπαντες ἴστε, καὶ τοῦ ἰδιώτης εἶναι φανερὰς ἔχων τὰς μαρτυρίας ἀγωνίζεται· διατελεῖ γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον*

---

1) Idem apud Lysiam; cf. Frohberg. ad Lys. XIX, 1.

ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλά καὶ ἀσχολίας τῆς ἐπὶ τὸ πραγματεύεσθαι. — ἀνάγκη γὰρ ἡμερεύειν κ. τ. λ. e quibus probe cognosci possit, Aristotelem non sine iusta causa in iudicium descendisse. Ita cum sententias dispositas videamus, ut iustitiae iniustitia adversariorum, paupertati atque imperitiae apud iudices agendi divitiae atque dolus Leocharis eiusque patris opponantur et cum inde ab initio actorem rem ita tractare intellegamus, ut iudices attentos benevolos dociles faciat satisque vividum componat prooemium, facere non possumus quin concedamus, rhetorum praecepta servata esse atque haud spernenda diligentia hanc partem esse compositam.

Altera parte prooemii inde a §. 5 usque ad §. 8, qua prothesis continetur, transitum sibi parat actor ad narrationem. Dicit enim, cum adversarii non solum nitantur diamartyria, sed etiam generis propinquitate, totum esse genus et ipsius et adversariorum explicandum, priusquam accedat ad diamartyriam ipsam. Intellegimus igitur, in universum hanc partem cohaerere cum priore. Quaeri tamen potest, num fieri non potuerit, ut haec omnia brevius explicarentur, praesertim cum totum exordium, quod cum prothesi octo paragraphos continet, longius sit, quam quod apud Demosthenem inveniatur [1]). Nam is et Isaeus talia brevius dicere solet [2]). Videamus igitur singula. Postquam §. 4. actor de sua et de patris paupertate dixit et addidit: ἃ δεῖ λογιζομένους ἐνθυμεῖσθαι ὅτι, εἰ μὴ τῷ δικαίῳ ἐπιστεύομεν, οὐκ ἄν ποτ' εἰσήλθομεν εἰς ὑμᾶς, pergit §. 5. Περὶ μὲν οὖν τῶν τοιούτων καὶ προϊόντος τοῦ λόγου ἀκούσεσθε. Inepte dictum hoc mihi videtur. Etenim verba περὶ τῶν τοιούτων, quae omnibus exhibentur codicibus, nemo qui accuratius legit ad aliud quid referre potest, quam quae antea dicta sunt de patre atque familia oratoris, qua paupertate impulsus praeconis munere in portu ita fungeretur, ut tempus non esset

1) Etiam Blassium mecum consentire gaudeo: ait enim is l. c. p. 508: „Es folgt eine breite Prothesis."

2) cf. Dem. XXVII, 3, XXX, 4, [XXXII], 3, [XXXV], 5, XXXVI, 3, LIV, 2, LVII, 6, 7.

alienos fundos litium calumnia petendi. Incidit igitur in errorem Reiskius, quod verba τῶν τοιούτων de patre et gentilibus et amicis intellecta voluit. Nihil de illis dictum est nec dici potuit. Neutrius generis est genetivus: „de talibus“, inquit, „rebus postea audietis.“ Sed ubinam haec commemorantur? quin immo ubinam actor patris paupertatem explicare potuit? Nusquam sane, ac ne in ea quidem parte, quam deesse ex paragrapho 45 cognoscimus. Ibi enim ait se refutare velle adversariorum sententias.

Ac ne mutari quidem haec possunt, quoniam verba περὶ τῶν τοιούτων nec levi medicina adhibita corrigi, nec omnino omitti possunt, etenim altera pars sententiae, quae incipit a verbis ὑπὲρ αὐτῆς δὲ, sola restare non potest, sed prior pars desideratur. Quid igitur statuendum est de verbis περὶ τῶν τοιούτων? Valde miramur, quod nemo adhuc vidit, verba περὶ τῶν τοιούτων aptissime cohaerere cum §. 3. ἡμεῖς μὲν γὰρ — τὰ ψευδῆ πολλοὺς πεπορίσθαι, nam id potissimum studet ostendere orator, suam causam esse iustam, adversarios autem multis machinationibus atque artificiis hereditatem sibi ascivisse. Sed quid tum de §. 4? Equidem puto, nisi censeamus ineptissime περὶ τῶν τοιούτων dictum esse, concedendum esse, paragraphum quartam scriptam esse post §. 5. Est autem prorsus incredibile, totam par. 4 scriptam esse ab homine et familia actoris et lite alieno. Nam quis grammaticus compertum habere potuit Aristodemum ἰδιώτην fuisse, aut quis contenderet praeconis munere eum functum et dies noctesque in foro versatum esse? Itaque consequens videtur esse, ipsum eundem, qui reliquam orationem scripsit, hanc paragraphum postea addidisse, ut paupertatem suam iudicibus inculcaret. Quadrat etiam optime in hanc sententiam quod ostendam infra in §. 4 prima vestigia languidi eiusdem atque hiulci generis scribendi inveniri, quod tota reliqua parte continetur. Nam praeter exemplum a Schaefero iam prolatum (ἀπορίας ἀνθρωπίνης) in ultimis verbis huius paragraphi primus gravis hiatus inest (τῷ δικαίῳ ἐπιστεύομεν). Non autem potest dubitari, quin idem orator, qui priores tres paragraphos egregia arte limavit, etiam ultimam

prooemii sententiam perpoliturus fuerit, si iam tum scripta fuisset [1]).

Parat sibi deinde orator transitum a prooemio ad genus suum explicandum verbis illis: ὑπὲρ αὐτῆς δὲ cett., atque affert causam cur, priusquam ad diamartyriam ipsam veniat, genus et suum et adversariorum explicaturus sit. Ratio igitur totius huius partis in universum perspicua est, in singulis tamen haeremus. Omitto verbositatem actoris: ἐπειδὴ τὰ μὲν διαμεμαρτυρημένα ἕτερον τρόπον ἔχει ὁ δὲ πολὺς τοῦ λόγου τουτοισὶ ἔσται ὡς εἰσεποιήθησαν — cum satis esset ad intellegendum si prior pars enuntiati deesset, quoniam diamartyria in adoptione nitebatur — nec magni duco quod legimus §. 5. ἤδη νομίζω δεῖν διδάσκειν, tanquam statim ad rem aggredi in animo sit oratori [2]): consideranda mihi videntur verba §. 6, ὡς εἰσεποιήθησαν καὶ κατὰ τὴν ἀγχιστείαν γνήσιοι ὄντες δικαίως ἂν τῆς οὐσίας κληρονομοῖεν, ubi verba κατὰ τὴν ἀγχιστείαν coniungenda sunt cum κληρονομοῖεν. Duae enim res plane diversae his significantur: „Dicent illi se iustos esse heredes non solum quod adoptati, sed etiam quod propinqui sint“ [3]), studet etiam actor refutare et adoptionem et τὴν ἀγχιστείαν. Continent igitur verba καὶ κατὰ τὴν ἀγχιστείαν cett. causam a priore prorsus alienam. Itaque bonus orator haec non coniunxisset sola particula καὶ, sed posuisset οὐ μόνον — ἀλλὰ καὶ aut simile aliquid.

Verbis porro quae sequuntur §. 7: ἔστι γὰρ ὁ μὲν ἀγὼν οὑτοσὶ κλήρου διαδικασία, ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία, παρὰ δὲ τούτων κατὰ ποίησιν non solum ut supra ostendi litis nomen perperam dicitur, sed etiam

---

1) Cum magno gaudio cognovi, etiam Blassio (p. 510) discrimen aliquod intercedere visum esse inter dictionem huius et reliquarum prooemii paragraphorum.

2) ἤδη in talibus formulis saepissime legitur idem significans quod apud Romanos n u n c, velut nunc dicamus nunc exponamus simil. cf. quae exposuit Birkler, Programma Ehingense p. 9, et Dem. 18, 53, Isocr. 12, 119. Isae. VIII, 30, 34. Ps. Dem. XLV, 7. XXIX, 4 al.

3) cf. §. 11, τὸ μὲν ὅλον ἰσχυριζόμενοι ποιήσει, φάσκοντες δὲ καὶ συγγενεῖς εἶναι.

languida fieri oratio videtur mihi. Disquirendum igitur est, num hoc loco mendum amoveri possit. Ac vero non necesse esse videtur, verba §. 7 ὁμολογοῦμεν δ' ἐναντίον ὑμῶν δεῖν τὰς ποιήσεις κυρίας εἶναι, κ. τ. λ. referre ad ultima prioris sententiae: παρὰ δὲ τούτων κατὰ ποίησιν, sed referri etiam possunt si libet ad §. 6, ὡς εἰσεποιήθησαν. Praeterea quod dicit orator §. 8 ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι κατὰ γένος ἐγγύτατα ὄντες οὐ μόνον cett. satis respondere potest τῇ ἀγχιστείᾳ (§. 6). Ergo, si quis hunc errorem removere studet, licet opinari totum hunc locum sic componendum esse: §. 6 ἐπειδὴ δὲ τὰ μὲν διαμεμαρτυρημένα ἕτερον τρόπον ἔχει, ὁ δὲ — ἀναγκαῖον — διεξελθεῖν· ἐὰν γὰρ τοῦτο σαφῶς μάθητε, οὐ μὴ παρακρουσθῆτε ὑπ' αὐτῶν τῷ λόγῳ· ὁμολογοῦμεν δ' ἐναντίον ὑμῶν δεῖν τὰς ποιήσεις κ. τ. λ. Iamque quemadmodum verba ἔστι γὰρ cett. in orationem irrepserint pro certo quidem dicere non possumus, sed tamen non dubitamus, quin fieri potuerit, ut grammaticulus quidam non satis peritus rerum forensium in margine libelli sui haec ascriberet, sive explicandi causa, sive ut memoriam suam refricaret, praesertim cum tales explicationes saepius in orationibus legantur [1]).

Sed sint haec recte disputata, liceatque per sententiarum nexum verba ἔστι γὰρ κτλ. removere, tamen non minus apparet hunc locum tentari omnino non posse, nisi etiam alterum errorem §. 13 corrigamus. Quod quidem fieri non posse infra explicabo [2]).

Tum omnino carent logicae artis elegantia verba §. 8: ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι κατὰ γένος ἐγγύτατα ὄντες οὐ μόνον τούτῳ ἐνισχυριζόμεθα, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι, πρῶτον μὲν ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ γένους ὑμᾶς διδάξομεν, ὅθεν ἐστὶν ὁ κλῆρος· νομίζω γὰρ κ. τ. λ. Nam nemo sanae mentis dicit, „ut videatis, me non solum generis propinquitate niti sed etiam omnibus aliis causis, primo de genere dicam“, sed siquidem sic ambitum instituit, primo de ceteris illis rebus, non de genere

---

1) Sunt mihi in promptu, Ps. Dem. XLIII, 34 νυνὶ δ' ἐστὶν ὁ ἀγὼν καὶ ἡ διαδικασία περὶ τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου et sim. ibid. §. 61.

2) p. 43 seq.

dicendum erat oratori [1]). Praeterea non satis intellegitur quid sibi velint verba τοῖς ἄλλοις ἅπασι. Nam in sola generis propinquitate nitebantur Aristodemus et filius, non in aliis rebus; si autem hoc loco de adversariorum iniustitia et de sua dignitate aequitateque cogitavit, sine dubio accuratius in hac partitione haec erant explicanda. Possunt autem haec menda nec deleri ut a grammatico quodam addita nec corrigi ut a librariis corrupta. Nihil igitur reliquum est, nisi ut concedamus, a scriptore ipso haec esse profecta, qui aut scribendo non satis operam navavit aut omnino egregii oratoris ingenium non aequavit.

Sed respiciamus nunc omnia quae de paragraphis 1—8 dixi. Intelleximus priorem partem (1—3) egregia arte esse compositam. Altera pars (5—8) non cohaeret cum priore nisi remota paragrapho quarta, quam postea addidisse scriptorem ostendisse mihi videor. Praeterea apparet paragraphos 4—8 multo minore diligentia esse compositas quam 1—3. Probatur hoc cum iis quae adhuc disputavi, tum maxime numero hiatuum, quos inde a §. 4 frequentes inveniri infra ostendam [2]). Quodsi quis tamen censebit his rationibus adductus, paragraphos 1—3 non ab eodem oratore esse compositas, a quo ceteras, sed aliunde fortasse esse desumptas, probandum hoc mihi non videtur. Etenim primum omnia quae in illis §§. dicuntur aptissima sunt ad causam, spectantque res personarum adeo proprias, ut ab alieno homine dicta esse non possint. Deinde subtile illud genus dicendi, quo adversariorum res contra ea ponuntur, quae pertinent ad accusatorem, nec in altera parte prooemii nec in narratione aut argumentatione deest. Tum sententia §. 3 ἄν τις ἡμᾶς ἐᾷ τῶν νόμων τυγχάνειν iisdem verbis legitur in fine §. 28. Nihil denique est quod obstet, quominus totum exordium eidem oratori tribuamus. Concedendum ergo puto, ab uno eodemque homine paragraphos 1—3 accuratissime, 4—8 neglegentius esse compositas.

---

1) cf. nunc Blassii verba p. 510, ann. 1.

2) p. 59 seq.

B. Nunc ut transeamus ad narrationem pauca praemonenda sunt de narrandi ratione in genuinis Demosthenis orationibus adhibita. De qua quoniam egregie disputavit Siggius (l. c. p. 416) liceat mihi totum locum subiungere. Die erzählung, inquit, ist in den Demosthenischen reden gedrängt, aber vollständig und klar und wird durch eingeschobene zeugnisse und gesetze, sogenannte *πίστεις ἄτεχνοι* gestützt. In einem völlig getrennten abschnitt folgt darauf die beweisführung (approbatio mit refutatio), die bei Demosthenes im verhältnis zur erzählung in der regel ausgedehnt und einlässlich ist, und recht eigentlich den haupttheil ausmacht. Hier macht der redner entweder aus dem vorher erzählten oder aus anderweitig herbeigezogenen daten schlüsse, die seine sache als die gerechte und die davon gegebene erzählung als wahrscheinlicher erweisen. Das sind die sogenannten *πίστεις ἔντεχνοι* oder *τεκμήρια*. Vor allem ist es aufgabe des redners, und gerade Demosthenes hat sie glänzend erfüllt, dem gegner alle die einwendungen, die er etwa vorbringen könnte, vorwegzunehmen und vorwegzuwiderlegen (*ὑπόληψις* oder *ὑποφορά*). B. De narratione.

Iam vero in Leocharea oratione narratio tripertita est, quod quidem per se non vitio tribuendum est oratori, quoniam hac ratione magis perspicua atque vividior fieri potest oratio. Sed tamen illud notandum puto: Nunquam narratio *πίστεσι ἀτέχνοις*, quae dicuntur, excipitur nec unquam satis separata est a probatione [1]). Sed veniamus ad singula. A paragrapho nona usque ad tertiam decimam studet ostendere orator, se proximum esse genere defuncto Archiadi. Cuius partis narratio est §§. 9 et 10. Atque in universum quidem recte observat actor praecepta brevitatis, cum inde incipiat narrare unde necesse erat, et eo usque rem persequatur, unde facile transitus fit ad argumentationem [2]). Sed tamen

1) Idem nunc vidit Blassius p. 508.

2) Video nunc mirum in modum Blassium p. 509 cum Schaefero add. p. 242 desiderare explicationem, cur Leocrates I Eleusinus fuerit. Non video cur non sumamus, Leocratis I patrem ex eodem demo natum fuisse. Etenim si adoptatus fuisset, nequaquam hanc causam in adversa-

hic illic nonnulla monenda sunt. Refero primum nimium illud studium accurate dicendi et res paene ante oculos ponendi, quo perducitur orator, ut res iam notas iterum dicat, velut §. 9 *τελευτήσαντος δὲ τοῦ πατρὸς αὐτοῖς*, ubi *αὐτοῖς* supervacaneum videtur, quoniam in priore versu dictum est, cuius pater Euthymachus fuerit, et §. 10 *ἣν ἐβουλήθη μὲν ἐκεῖνος ἀγάμῳ τῷ ἀδελφῷ ὄντι τῷ ἑαυτοῦ ἐκδοῦναι*, quantis ambagibus dictum! suffecerunt sola verba *τῷ ἀδελφῷ* aut *τῷ Ἀρχιάδῃ*. Praeterea meliore ordine dixisset *τῷ ἀδελφῷ ἀγάμῳ ὄντι* aut *ἀγάμῳ ὄντι τῷ ἀδελφῷ*. Deinde commemoratur uno loco §. 10. Habronichus patruus, de quo melius fuit tacere cum hereditatem non peteret [1]). Tum illud *σχεδὸν* §. 11 (*καὶ ἡ μὲν τοῦ γένους ἀγχιστεία τοῦ ἡμετέρου — σχεδὸν οὕτως ἔχει*) quid sibi velit non intellego; etenim cum in genere antea explicato ius hereditatis petendae posita esset, nunquam bonus orator dicere potuit: hoc fere genus nostrum est. Sed pro certo hoc confirmandum erat.

Inde a §. 11 statim adiungit orator comprobationem, testimonium autem, quod Demosthenes hoc iam loco posuisset, sequitur §. 14 [2]).

Deinde, postquam ostendit, se ipsum et patrem cognatos esse mortuo Archiadi et postquam iterum invectus est in adversarios, qui tamen diamartyriam interposuerint, *τὸ μὲν ὅλον ἰσχυριζόμενοι ποιήσει φάσκοντες δὲ καὶ συγγενεῖς εἶναι*, pergit in hunc modum: Quemadmodum adoptio facta sit, postea dicam, *περὶ δὲ τοῦ γένους ὡς οὐκ εἰσὶν ἡμῶν ἐγγυτέρω*

---

rios invehendi omisisset Aristoteles. Praeterea si tamen Leostrati I gener ex alio demo in Eleusinios ascitus fuisset, minime hac re Leocharis ius minueretur, quoniam Leocratem I ab Archiade vivo adoptatum esse demonstrasse mihi videor p. 8 sq., nec Aristotelis ius augeretur, cum hic per viros, ille per feminas cum mortui genere cohaereret. (cf. p. 39 sq.).

1) cf. supra p. 11.

2) verba §. 11 κατὰ τοῦτον τὸν νόμον quibus fieri potest ut offendamur, quoniam adhuc nullam legem commemoravit orator, verti etiam possunt: nach dem bekannten gesetz, scil. τὸ κρατεῖν τῶν κληρονομιῶν τοὺς ἄρρενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων. cf. quae dixerunt Kühnerus grammat. Graec. II p. 556, et Rehdantz. ind. Dem. ², p. 263.

τοῦτο δεῖ μαθεῖν ὑμᾶς. Quae verba si quis legit, nemo sane est quin exspectet, statim in sequentibus verbis eum de genere adversariorum dicturum esse. Hoc vero si ita est quid sibi vult pronomen τοῦτο? exspectamus sane τόδε. Nam ad ea quae praecedunt, quamquam hoc usus postulat, τοῦτο referri non potest, cum non de adversariis, sed de suo ipsius genere adhuc dixerit orator. Sed si quis hoc magni momenti idcirco non putat, quod hic illic apud bonos oratores οὗτος ad insequentia spectat [1]), tamen non intellegi potest, qui quae sequuntur ad adversariorum genus referri possint. Legimus enim: ἓν μὲν οὖν ὁμολογεῖται, τὸ κρατεῖν τῶν κληρονομιῶν τοὺς ἄρρενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων· ἁπλῶς γὰρ τοῖς ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν, ὅταν μὴ παῖδες ὦσιν, ὁ νόμος τὰς κληρονομίας ἀποδίδωσιν· οὗτοι δ' ἐσμὲν ἡμεῖς· ἄπαις μὲν γὰρ ὁ Ἀρχιάδης ὁμολογεῖται τετελευτηκέναι· τούτῳ δὲ πρὸς ἀνδρῶν ἡμεῖς ἐσμεν ἐγγυτάτω. Subvertitur ergo oratio et avocatur animus a genere ad legem, qua hereditas propinquis tribuatur: §. 13 demum verbis πρὸς δὲ καὶ ἐκ γυναικῶν κτλ. transitus fit ad genus adversariorum. Praeterea ne haec quidem paragraphus omnino sana est, quamquam Schaeferi dubitationem removere posse mihi videor. Offenditur enim vir doctus [2]) eo potissimum, quod orator, cum ubique se e virili stirpe oriundum esse demonstrare studeat tamen confiteatur in hac paragrapho 13 (τοῦ δὲ Μειδυλίδου θυγάτηρ ἡ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς μήτηρ, ὥστε γίγνεται Ἀρχιάδης κτλ.) se per unam feminam, per aviam suam, cognatum esse mortuo. At commemorat actor aviam non solum hoc loco, sed etiam §. 10: οὕτως ἤδη ὁ Μειδυλίδης ἐκδίδωσι τὴν αὑτοῦ θυγατέρα Ἀριστοτέλει Παλληνεῖ τῷ πάππῳ τῷ ἐμῷ atque ibi quoque addit, sese πρὸς ἀνδρῶν ἐγγυτάτω εἶναι. Quid igitur? putabimusne oratorem tam stolidum fuisse, ut quod summa diligentia celandum erat eodem fere spiritu, quo ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν se esse contendit, clarissimis verbis fateatur? equidem non crediderim. Iudicio enim lapsi esse videntur docti viri in explicandis verbis πρὸς ἀνδρῶν et πρὸς γυναικῶν. Sunt enim

1) cf. Kühneri gramm. Graec. II p. 557.

2) l. c. p. 243.

verba *ἀνὴρ* et *γυνὴ* talibus in formulis non referenda ad patrem aut matrem eius qui postulat hereditatem, sed ad principem totius stirpis collateralium. Itaque cum Aristotelis stirps a Midylide, Archiadis fratre, Leocharis a sorore Archidice oriunda esset, recte mihi videtur actor dixisse, se *πρὸς ἀνδρῶν*, illos *πρὸς γυναικῶν* cum mortuo Archiade coniunctos esse. Qua re nihil refert, utrum in stirpe feminae fuerint necne. Nulla erat actori necessitas aviae nominis celandi, cum sine dubio Archiadis hereditas, nisi adoptatus fuisset Leocrates maior, secundum leges pervenisset primum ad Midylidem fratrem unum superstitem, deinde per filiam *ἐπίκληρον* ad Aristodemum eiusque fratrem. Cuius significationis verborum *πρὸς ἀνδρῶν* et *πρὸς γυναικῶν* quamquam quod sciam apud oratores nullum certum exstat exemplum tamen simillima est ratio formularum *πρὸς μητρὸς* et *πρὸς πατρός*, quam primus recte intellexit De Boorius cum diceret *πρὸς μητρὸς* et *πρὸς πατρός* ad patrem et matrem eius referenda esse, de cuius hereditate certetur [1]).

Quodsi intellexerimus in universum recte §. 13 oratorem probasse se per virum cohaerere cum genere Archiadis, adversarios per feminam, concedendum etiam est hanc paragraphum statim exspectari post verba §. 12 *περὶ δὲ τοῦ γένους ὡς οὐκ εἰσὶν ἡμῶν ἐγγυτέρω, τοῦτο δεῖ μαθεῖν ὑμᾶς*; satis apte enim tum procedit oratio. Sed hoc concesso quid statuendum est de verbis *ἓν μὲν οὖν — πρὸς δὲ καὶ ἐκ γυναικῶν οἱ αὐτοὶ οὗτοι*? Nequicquam studui haec alio loco integra inserere, cum apte cohaerere videatur haec sententia cum §. 13. Etenim ea difficultas, quae doctis viris inesse videtur in verbis *πρὸς δὲ καὶ κτλ.*, quibus transitus fit ad §. 13 ipsis iis remota est, quae de sensu huius paragraphi dixi. Sunt haec verba non, ut Reiskius putavit, intellegenda de actore eiusque patre, sed de adversariis. Nam quamvis frequenter sit a scriptoribus verbum *οὗτος* de prima persona usurpatum, tamen non desunt alterius generis exempla. Quod copula *εἰσί* deest, sane nullius est momenti, quod autem Dob-

1) proleg. Mac. p. 16 seq. cf. etiam quae Schneiderus disseruit de iure hered. p. 11.

raeus contendit[1]), *ἐκ γυναικῶν* soloece dictum esse pro *πρὸς γυναικῶν*, quod non solum apud Demosthenem aliosque oratores vulgatum sit, inde facile explicatur, cum orator, qui in eodem versu dixerat *πρὸς ἀνδρῶν ἡμεῖς ἐσμεν ἐγγυτάτω*, *πρὸς δὲ καὶ*, praepositionem *πρὸς* repetere noluerit. Atque etiam recte actor dicere potuit *πρὸς δὲ καὶ*, insuper, praeterea, quoniam cum dixisset *ἡμεῖς ἐσμεν γένει ἐγγυτάτω* superlativo gradu, remotiores esse adversarios contenderat; addit enim novum argumentum in hunc fere modum: „praeterquam quod remotiores sunt, si graduum numerum spectamus, etiam per feminas propinqui sunt mortuo Archiadi". Ergo non necesse videtur aut *ἐκ γυναικῶν* cum Dobraeo in *ἐγγυτέρω* mutare aut totam sententiam omittere. Perspicuus igitur est nexus sententiarum inde a verbis *Ἓν μὲν* usque ad finem §. 13. Attamen ipse ostendi totam paragraphum 13. exspectari post verba §. 12. *τοῦτο δεῖ μαθεῖν ὑμᾶς*; quid ergo censendum est de verbis *Ἓν μὲν — οἱ αὐτοὶ οὗτοι*? Non enim diceres scripta esse ea a grammatico quodam aut librario, nec possunt alio loco inseri. Iterum videtur mihi concedendum esse, ineptissime oratorem ipsum haec scripsisse, sive cum primo impetu orationem componeret, sive postea sententiarum ratione non satis observata hoc adderet: Apud iudices sane haec dici non potuit.

Sed ne his quidem explanatis omnes huius paragraphi difficultates remotae sunt. Etenim primum mirum videtur, quod orator, cum genus suum explicare velit, finem faciat enumerandi non cum ostendat, quemadmodum pater Aristodemus, qui hereditatem petivit, mortuo Archiadi cognatus sit, sed cum illum iamdudum mortuum quasi vivat cum ipsius genere cohaerere dicat (§. 13, *ὥστε γίγνεται Ἀρχιάδης — θεῖος τῇ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ μητρὶ ἐκ πατραδέλφων, πρὸς ἀνδρῶν ἔχων τὴν συγγένειαν ταύτην καὶ οὐ πρὸς γυναικῶν*).

Deinde difficultas inexplicabilis videtur inesse in verbis *ἐκ πατραδέλφων*. Consentiunt enim docti viri Polluce auctore[2]) *πατράδελφον* idem significare quod *πατρὸς ἀδελφόν*

1) Adversaria ed. Wagner. vol. II p. 167.

2) III, 22 ὁ δὲ πατρὸς ἀδελφὸς θεῖος ἢ ἀδελφόθεος ἢ πάτρως, ὁ

nempe *θεῖον*, atque probatur hoc non solum aliis dialectis [1]), sed etiam omnibus ceteris locis Atticae dialecti. Apud Atticos tamen oratores non legitur nisi in formula *ἀνεψιὸς ἐκ πατραδέλφων* plurali numero et de uno et de compluribus patruis dictum. Sunt enim loci hi: a) de compluribus patruis:

Isaeus XI, 8, *ἐγὼ γὰρ καὶ Ἁγνίας, ὦ. ἀ., καὶ Εὐβουλίδης καὶ Στρατοκλῆς καὶ Στράτιος ὁ τῆς Ἁγνίου μητρὸς ἀδελφὸς ἐξ ἀνεψιῶν ἐσμεν γεγονότες· καὶ γὰρ οἱ πατέρες ἡμῶν ἦσαν ἀνεψιοὶ ἐκ πατραδέλφων.*

[Dem.] XLIII, 42. *Μαρτυρεῖ — ἀκούειν τοῦ πατρὸς τοῦ ἑαυτοῦ ἀνεψιοὺς εἶναι ἐκ πατραδέλφων Πολέμωνι Φίλαγρόν τε τὸν Εὐβουλίδου πατέρα καὶ Φανοστράτην τὴν Στρατίου θυγατέρα καὶ Καλλίστρατον τὸν πατέρα τῆς Σωσίου γυναικὸς καὶ Εὐκτήμονα τὸν βασιλεύσαντα καὶ Χαρίδημον τὸν πατέρα τὸν Θεοπόμπου καὶ Στρατοκλέους.*

b) De uno patruo:

Isaeus IV, 23 *κατὰ γὰρ τὸ αὐτὸ γένος ἂν ἠμφισβήτει (Νικόστρατος), ἀνεψιὸς ὢν αὐτοῖς ἐκ πατραδέλφων* [2]). ibid. §. 26 (*Ἅγνων καὶ Ἁγνόθεος*) *παρέσχοντο δ᾽ ὑμῖν μάρτυρας πρῶτον μὲν ὡς ἀνεψιοί εἰσιν ἐκ πατραδέλφων Νικοστράτου.*

(Dem.) XLIII, 36 in testimonio: *τὴν μητέρα — ἀνεψιὰν εἶναι ἐκ πατραδέλφων Πολέμωνι τῷ πατρὶ τῷ Ἁγνίου.*

ibid. 43 *Εὐκτήμονα, ἐκ πατραδέλφων ἀνεψιὸν ὄντα Πολέμωνι τῷ πατρὶ Ἁγνίου.*


Pluralis enim numerus huius vocis sine dubio eadem

δὲ μητρὸς ἀδελφὸς θεῖος ἢ μητράδελφος ἢ μήτρως ἢ νέννιος· ἡ δὲ πατρὸς ἀδελφὴ θεία ἢ πατράδελφος, ἡ δὲ μητρὸς ἀδελφὴ θεία ἢ μητράδελφος ἢ τηθίς.

III, 28 πάλιν τοίνυν ἀδελφῶν παῖδες ἀνεψιοί, εἴτε ἐκ πατραδέλφων εἶεν εἴτε ἐκ μητραδέλφων, καὶ. — Etiam Hesychius explicat πατράδελφον verbis θεῖος πρὸς πατρός.

1) cf. Stephan. thesaur. s. h. v.

2) Stemma.



ratione usurpabatur, qua dicebatur πρὸς γυναικῶν et πρὸς ἀνδρῶν. Singularis numerus nisi in hypothesi graeca orationis Is. IV non legitur. Quibus omnibus exemplis cum comprobetur πατράδελφον esse idem quod θεῖον, mirum sane est, quod in hac oratione Archiades θεῖος τῇ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ μητρὶ ἐκ πατραδέλφων dicitur. Nequicquam docti homines hoc explicare studuerunt. Dicit enim Schoemannus [1]), nisi quis hoc ita accipere malit, ut ἐκ πατραδέλφων sit e numero πατραδέλφων, reliquum esse, ut propria significatione obscurata idem significet, quod πρὸς πατρός. Sed praeterquam quod nullo exemplo hoc comprobatur, non crediderim equidem, ullum Atheniensem, cum verba ἐκ πατραδέλφων audiret, de alia re nisi de usitata formulae significatione cogitare potuisse. Si ullo certo loco persuadere mihi possem, singularem quoque numerum in usu fuisse apud Athenienses, suspicarer scribendum esse θεῖος — ἢ πατράδελφος, quoniam a librariis hoc facillime in notissimam illam formulam mutari potuit. Medicina igitur ulla cum nec interpretatione nec coniectura huic loco desperato afferri posse mihi videatur, nisi stupiditati scriptoris hoc ascribere malimus, ultimum nobis id restat refugium, ut censeamus, inserta esse verba ἐκ πατραδέλφων a librario imperito: Et profecto nihil deest, sed omnia plana sunt, si remotis verbis ἐκ πατραδέλφων legimus: ὥστε γίγνεται Ἀρχιάδης — θεῖος τῇ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ μητρὶ [ἐκ πατραδέλφων], πρὸς ἀνδρῶν ἔχων κτλ. [2]).

Hoc loco etiam iudicare possumus de verbo ἐπιδικασίας, quo verbo litis genus perperam significari supra ostendimus.

---

1) ad Isaeum p. 280.

2) Haec postquam scripsi sodalis quidam studiorum aliam mecum communicavit coniecturam, quae digna mihi videtur commemoratu. Ait enim is, verba ἐκ πατραδέλφων coniungenda esse cum τῇ μητρί, ut hoc idem sit quod ἐκ πατρ. οὔσῃ, nam Clitomache erat filia Midylidis, fratris Archiadis (cf. p. 6, ann. 1). Qua quidem coniectura servatur significatio verbi πατράδελφος, sed tamen multo minore iure ponitur pluralis ἐκ πατραδέλφων; praeterea addendum erat participium οὔσῃ. Gravissimum vero argumentum hoc puto: desideratur tale attributum non ad verbum μητρί, sed ad θεῖος, quoniam ostendit orator, non aviam suam, sed Archiadem cum ipso cohaerere generis propinquitate.

Possunt autem hoc loco verba *ἐπιδικασίαν ποιούμεθα* nec satis apte mutari nec tota sententia *ὑπὲρ οὗ — νυνί* ut a rhetore quodam inserta removeri, cum ad nomen Archiadis tale attributum desideretur. Concedendum igitur puto, hoc saltem loco ipsum oratorem erravisse. Itaque in dubium vocatur, quod antea [1]) disputavi de verbis §. 7: *ἔστι γὰρ ὁ μὲν ἀγὼν οὑτοσὶ κλήρου διαδικασία, ἀμφισβητεῖται δὲ κτλ.*, nam qui hoc loco apertissime erravit, etiam illo errare potuit [2]).

Ac ne in ultima quidem huius paragraphi sententia nihil notandum est. Etenim ibi orator cum ostendere studeret, peiorem esse *ἀγχιστείαν* Leocharis quam ipsius atque patris, non satis fuit dicere *ἡ γὰρ τοῦ Λεωκράτους μήτηρ τοῦ τούτου πατρὸς ἀδελφιδῆ ἦν*, cum etiam Aristodemi mater *ἀδελφιδῆ* esset Archiadis. Melior orator sine dubio addidisset, filiam esse illam sororis Archiadis, ut facilius iudices intellegerent, quantum superaretur Leochares a filio filiae Midylidis. Nescimus an hoc orator correcturus fuerit, si limam attulisset.

Paragraphi 14—16, quae sequuntur, in universum perspicuae sunt — verbositatem infra explicabo. — Orator enim postquam recitatis testimoniis et lege, quae de generis propinquitate adhuc dixerat unum in locum collegit et quae inde sequerentur iudicum animis inculcavit, transitum sibi parat ad adoptiones verbis illis §. 16: *εἰ μὲν γὰρ ἐφ' ἡμῖν ἦν ὥστε δείξασι τὰ περὶ τοῦ γένους καὶ τ ῆ ς δ ι α μ α ρ τ υ ρ ί α ς α ὐ τ ῆ ς καταβῆναι καὶ μηδενὸς ἔτι πλείονος λόγου προσδεῖσθαι, σχεδόν τε τῶν μεγίστων εἰρημένων οὐκ ἂν ἠνοχλοῦμεν τὰ πλείω· ἐπειδή δὲ κτλ.* Attamen adhuc nihil dixit orator de diamartyria, sed huc usque nihil aliud explicavit, quam suum et adversariorum genus. Quid igitur? Potestne credi, hoc ullum oratorem, si verba sua usque ad hunc locum relegisset,

---

1) p. 34 sq.

2) Si recte Blassius opinatur (p. 508 annot. 2) ex his duobus locis §. 7 et 13 ortum esse titulum orationis πρὸς Λεωχάρην περὶ τοῦ (Ἀρχιάδου) κλήρου (cf. p. 56. Blass.) peccata illa duo iam fuisse in oratione videntur, priusquam ab Alexandrinis in corpus Demosthenicum insereretur.

effugere potuisse? Equidem non credam. Corrigi autem haec non possunt, quoniam optime cum insequentibus cohaerent [1]).

Deinceps inde a §. 17 agit orator de adoptionibus. Tertium enim ac quod mirum est accuratius quam in priore parte narrat orator a Midylide et Archiade Archidicen sororem Leostrato Eleusinio in matrimonium datam esse et Leostratum ex filia eius genitum laxissimis propinquitatis vinculis cohaerere cum genere Archiadis. Praeterea verba illa §. 17. *τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων ὁ μὲν Ἀρχιάδης οὐκ ἐγάμει, ὁ δὲ Μειδυλίδης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, πάππος δὲ τουτουὶ ἔγημεν,* qua tandem ratione cohaerent cum prioribus? Eratne in illis, quae antea de genere Leocharis exposita sunt, causa, cur Archiades non duceret uxorem, sed Midylides duceret? Ineptissime dictum est et indignum oratore mediocri tantum ingenio praedito, praesertim cum quaeri etiam possit, num necesse fuerit hoc loco afferre, quae antea iam (§. 10) dicta sint. Sed ut omittam haec, tota paragraphus insequens quid pertinet ad rem? quidnam interest, utrum iudices sciant, rem familiarem divisam esse necne? Praeterea quantis ambagibus dictum est *ἠρρώστησεν ὁ Ἀρχιάδης, καὶ τελευτᾷ τὸν βίον*; satis fuit *τελευτᾷ τὸν βίον ἀρρωστήσας*, nam narrationem brevem esse oportet. Non invenies simile quicquam apud Demosthenem aut Isaeum. Quid porro significat *ἡ λουτροφόρος*, quam orator videtur ita adamasse, ut vel in testimonii annuntiatione eam commemoraret (§. 30)? Agitur enim de adoptione Leocratis, utrum iusta fuerit necne, *ἡ λουτροφόρος* autem apud veteres nihil significat, nisi eum hominem cuius in sepulcro erat, non fuisse coniugem nec balneo nuptiali esse usum [2]). De Archiade autem hoc nemo in dubitationem vocare potuit. Si tamen hoc argumento orator confirmare voluit improlem eum mortuum esse, addendum erat ad *ἄγαμος*

1) eundem in modum iudicat nunc Blassius p. 508: „Die Verwirrung und der Widerspruch mit der ersten Promethesis ist hier auffällig: gegen die Diamartyrie ist ja noch nichts bewiesen."

2) cf. Harpocrat. s. h. v. Eustat. ad Homerum p. 1223 Bekk. Chariel. III, p. 301.

ὢν verbum ἄπαις. Aberravit igitur iterum orator ad rem, quae nihil pertinebat ad causam nec unquam ab Isaeo talibus in causis commemoratur.

De reliquis paragraphis huius partis (19—29) haud ita multa addenda videntur, cum in universum sententiae satis apte inter se connexae sint, perspicuumque sit, quae sibi velint. Studet enim orator hac parte iudicibus persuadere, usque ad mortem Leocratis minoris hereditatem contra ius et fas in adversariorum bonis fuisse. Nam Leocratem maiorem in domum Archiadis per fraudem transiisse; quod quidem passum esse Midylidem non legibus coactum, sed a Leocrate deceptum et propinquorum precibus perductum[1]). Ipsum actorem patremque Aristodemum intra permultos annos nihil contra eos molitos esse, quamquam nemo in domo Archiadis mansisset, sed Leocrate II demum mortuo, cum non filius adesset, adversarios se exstitisse hereditatem petentes secundum eas leges quibus mortui civis bona viris genere proximis darentur. Memorandum tamen est inde ab hoc loco saepius oratorem ipsum a se dissentire. Etenim cum paullo ante enisus sit ut ostenderet, Leocratem I per se atque iniuria transiisse in familiam Archiadis (§. 19) tamen non solum eum *ποιητὸν γενόμενον* dicit (§. 21) sed etiam adoptionem probat: (§. 46) *ὁ γὰρ Ἀρχιάδης ἐκεῖνος οὗ ἐστιν ὁ κλῆρος, ἐποιήσατο υἱὸν τὸν τοῦ διαμεμαρτυρηκότος νυνὶ πάππον*, quod non modo Demosthenes, sed ne mediocris quidem ingenii orator fecisset. Praeterea, quam inepte invehitur in ceteras adoptiones! Contendit enim, *παρὰ τοὺς νόμους* (23) rediisse adoptatos ad Eleusinios, attamen non solum ex permultis oratorum locis constat, minime hoc vetitum fuisse apud Athenienses, dummodo esset, qui stirpem defuncti iuste propagaret, sed etiam ipse orator hoc concedit §. 68. *τοῖς δὲ ποιηθεῖσιν οὐκ ἐξὸν διαθέσθαι ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας υἱὸν γνήσιον ἐπανιέναι.* Sanae mentis erat verbis §. 23. *ὁπότ᾽ εἰσποιητός κτλ.* addere *παρὰ τοὺς νόμους* aut simile aliquid. Sed orator, qua erat stupiditate, ne hoc quidem intellexit. Quod si quis tamen

1) cf. supra p. 7 seq.

putet, verba *παρὰ τοὺς νόμους* a librariis omissa esse posse, ut totus locus sic legendus sit: *πῶς γὰρ οὐ παρὰ τοὺς νόμους, ὁπότε παρὰ τοὺς νόμους εἰσποιητὸς ὢν εἰσποιητοὺς υἱοὺς ἐγκαταλιπὼν ἐπανῄει*, minime hoc probatur. Etenim ut omittamus triplicem repetitionem verborum *παρὰ τοὺς νόμους*: idem etiam addendum erat §. 21. *ὁ γὰρ Λεωκράτης ὁ εἰσποιητὸς γενόμενος τῷ Ἀρχιάδῃ*, quod quin temerarium sit nemo dubitat[1]).

Deinde orator nisus in iis quae de adoptionibus dixit ostendere studet necesse fuisse post mortem Leocratis II hereditatem ad ipsum pervenire atque invehitur in adversarios, quod tamen bona petiverint. Illos enim per fraudem atque calumnias rem familiarem postulasse, ipsum et patrem fretos esse legibus. Atque perspicua quidem sunt omnia, tamen dicendi genere offendimur. Taedium enim paene nobis inicitur cum verbis illis saepissime auditis *τῷ Ἀρχιάδῃ, οὗ ἦν ἡ οὐσία τὸ ἐξ ἀρχῆς κτλ.*, tum maxime sententia neglegentius constructa §. 26, *τῷ Ἀρχιάδῃ — καὶ τῷ εἰσποιητῷ Λεωκράτει. τοῦ μὲν γὰρ ὁ πατὴρ ἐπανεληλυθὼς — οὐκέτι τὴν κατὰ τὸν νόμον οἰκειότητα ἔλειπεν αὐτῷ, ἡμεῖς δὲ* — Etenim verus orator concinne dixisset *τοῦ μὲν — τοῦ δέ*, prioremque partem enuntiati ita composuisset, ut soloecismum per *αὐτῷ* exortum evitaret. Praeterea vituperanda sunt verba §. 28. *ἀλλὰ γὰρ ἡ ἀναίδεια καὶ ἡ πλεονεξία τοιαύτη ἐστὶν αὐτοῦ, ὦ ἀ. δ., ὥσθ' ἡγεῖσθαι δεῖν ἐν Ἐλευσινίοις τε τὴν πατρῴαν οὐσίαν ἐπανελθὼν ἔχειν, ἐφ' ἅ τ' εἰσεποιήθη.* Adeo enim occoecatus erat ira orator, ut cum haec diceret, iterum non intellegeret, se verbis *ἐφ' ἅ τ' εἰσεποιήθη* probare adoptionem, quam iniuste factam esse contendit. Iterum atque iterum deinde inculcat quasi iudicibus, pauperes se esse neque quicquam se postulare praeter iustitiam.

Paragrapho tricesima demum fine huius partis facto orator addit: *ἔπειτ' ἤδη καὶ τὰ λοιπὰ σαφῶς διδάξομεν ὑμᾶς, ὥστε κ. τ. λ.* quibus verbis designantur ea, quae sunt §. 31.

1) videtur mihi §. 24. inter *καὶ μὴ* et *τῷ τετελευτηκότι* omissum esse a librariis pronomen *τοῦτον*. Postulavit enim actor, ut ipse hereditatem acciperet neve adversarii filium introducerent.

ἃ δὲ μετὰ τὴν τοῦ κλήρου λῆξιν πεποιήκασι καὶ ὃν τρόπον ἡμῖν κεχρημένοι εἰσὶν et 45, *περὶ δὲ τῆς διαμαρτυρίας αὐτῆς εἰπεῖν καὶ περὶ τῶν νόμων καθ' οὓς ἀξιοῦμεν κληρονομεῖν· ἔτι δὲ κτλ.* Sed cur tandem haec perspicuis verbis non exprimuntur? Certam enim atque dilucidam vocem postulant iudices, postulamus ipsi nos, cum talibus in vocibus posita sit perspicuitas dispositionis! Praeterea hoc demum loco (§. 30) id est post argumentationem huius partis afferuntur testimonia, quarum partem aliquam Demosthenes iam §. 24. post narrationem dedisset.

Sed veniendum est nunc ad tertiam narrationis partem, qua ostensurus est orator, quibus iniuriis post mortem Leocratis hereditatem petiverit Leostratus. Etenim primo ipsum actorem et patrem a sepeliendo Leocrate et de domo remotos esse (§. 32); deinde Leostratum paracatabole deposita apud archontem hereditatem petivisse (§. 34) tanquam etiam tum Otrynensis esset, et perfecisse, ut in contionis tabula Otrynensium inscriberetur (§. 35); quo facto rebus publicis illius pagi operam eum dedisse, priusquam in *ληξιαρχικῷ γραμματείῳ* inscriberetur (§. 35). Quod ne fieret cum ab actore eiusque patre impeditum esset (§. 36) ita tamen non destitisse Leostratum, ut per fraudem inscribi studeret et Panathenaeis magnis pecuniam theatralem peteret (§. 37). Postremo cum idem frustra conatus esset *ἀρχαιρεσιῶν* diebus, filium in lexiarchico codice inscribendum eum curasse, priusquam, quod legibus sancitum esset, in phratores introduceretur [1]). Tum vero, cum praeter paracatabolen diamartyria institueretur, factum esse, ut pater et filius filii esse vellent eiusdem Archiadis ante multos iam annos mortui (§. 39—43) [2]). Huc usque

1) cf. Schaef. add. p. 29 seq.

2) Hoc ordine narrat orator adversariorum facinora. Erravisse enim videtur mihi Schoemannus, qui opusc. I, p. 289 et ad Isaeum p. 369 contendit, τὴν τῶν ἀρχόντων ἀγορὰν quae dicitur idem prorsus significare quod §. 39. verba ταῖς παρελθούσαις ἀρχαιρεσίαις. Etenim ipse orator cum dicit καὶ πρῶτον μὲν (§. 35), ἔπειτα (§. 35), μετὰ ταῦτα (§. 37) ἐπειδὴ τοίνυν ἐπὶ τούτων πάντων ἀπετύγχανε (§. 39) apertissime ostendit, se in persequendis singulis rebus temporum ordinem sequi. Etenim exeunte ut videtur secundo cuiusdam olympiadis anno cum mortuus esset Leocrates II Aristoteles hereditatem petivit. Statim interposuit Leostra-

narratur [1]). Respiciamus igitur qui fructus nobis inde capien-

tus II paracatabolen, quod si quidem Thargelione mense rursus in phratores et γεννήτας introductus erat (cf. Schaef. III add. pp. 20, 26 seq.) aut Thargelione aut Scirophorione mense factum est; si nondum receptus erat etiam antea fieri potuit. Diamartyriam non potuit intendere, cum ἀρχαιρεσίαι, quibus in demotarum codice inscribi voluit, postea celebrarentur. Statim deinde ab hoc tempore in contionibus cum Otrynensibns intererat. E quibus cum remotus esset auctore Aristodemo tamen iam tum demotarum suffragia sibi comparare studebat, sperans sine dubio fieri posse, ut ἀρχαιρεσιῶν temporibus inscriberetur. Ἀρχαιρεσίαι autem priusquam celebrarentur ineunte tertio anno eiusdem Olympiadis, cum Panathenaea magna essent, exeunte mense Hecatombaeone cum Otrynensibus θεωρικὸν sibi postulavit petivitque, ut inscriberetur in eo libro, in quo nomina erant eorum, qui largitiones accipiebant (cf. Reisk. vers. germ. ad hunc locum), tunc, aut primo aut altero mense tertii anni, ἀρχαιρεσιῶν diebus, cum ipse non posset inscribi, filium introduxit. ἀρχαιρεσίαι autem celebrari solebant post Panathenaeorum festum, quod cum ex iis quae Schaeferus (l. c. pp. 20, 26 sq.) et Schoemannus (op. I 289 seq.) dixerunt, intellegitur, tum maxime quae orator ipse explicat §. 39: ἐπειδὴ τοίνυν ἐπὶ τούτων πάντων ἀπετύγχανε, ταῖς παρελθούσαις ἀρχαιρεσίαις ταύταις παρασκευασάμενός τινας τῶν δημοτῶν ἠξίου οὕτως ἐγγράφεσθαι ποιητὸς υἱὸς τῷ Ἀρχιάδῃ. Atqui si τῶν ἀρχόντων ἀγορὰ idem fuisset quod ἀρχαιρεσίαι, qui fieri potuit, ut idem festus dies et ante et post Panathenaea commemoraretur, cum §. 37. orator dicit: καὶ μετὰ ταῦτα (τὴν τῶν ἀρχόντων ἀγορὰν) ἧκε Παναθηναίων ὄντων τῶν μεγάλων? deinde cur utitur orator de eadem re diversis nominibus? Tum cur ut novus et inexspectatus conatus affertur ab oratore id, quod ἀρχαιρεσιῶν temporibus Leostratus fecit? Nihil ergo reliquum puto, quam ut concedamus τὴν τῶν ἀρχόντων ἀγορὰν plane diversam fuisse ab ἀρχαιρεσίαις. Nec magis probatur quod Schoemannus ad Is. p. 369 censet in illis conventibus novorum demotarum nomina in lexiarchicis tabulis inscribi potuisse. Deceptus enim videtur vir doctus verbis §. 36. καὶ ᾠόμεθα δεῖν κριθῆναι πρῶτον τὴν κληρονομίαν παρ' ὑμῖν πρὶν ἐπὶ τὸ ὄνομά τινα τὸ τοῦ Ἀρχιάδου εἰσποιηθῆναι. Sunt enim haec sine dubio referenda ad ea, quae de codice contionali antea orator dixit. Ait enim, se putavisse non licere cuiquam participi esse publicarum rerum cum Otrynensibus, velutsi filius esset Archiadis, priusquam res a iudicibus diiudicata esset. Sententia igitur quae sequitur §. 36, κωλυθεὶς δὲ καὶ ἐξελεγχθεὶς πρὸς τῷ πίνακι καὶ ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀγορᾷ κτλ. non tam spectat ad adoptionem, quam quod in contionibus versabatur Leostratus, et verba πρὸς τῷ πίνακι καὶ ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀγορᾷ eandem prorsus rem significant: „convictus est Leostratus inspecta contionis tabula coram magistratibus ecclesiae aut publicae aut unius Otrynensium pagi."

1) §. 40. vulgo legitur: τοῦτο μὲν ἐπείσθησαν οὐ δι' αὐτούς, ἀλλὰ

dus sit. Tripertita est narratio. Etenim prima parte inde a §. 9. exponit orator, propiorem se esse genere Archiadi mortuo, quam adversarios, altera inde a §. 17. studet ostendere, contra ius et fas Leocratem maiorem irrepsisse in domum Archiadis et contra ius et fas unumquemque relicto filio ad Eleusinios rediisse, usque dum Leocrates alter moreretur [1]). Tertia denique parte inde a §. 32. persequitur actor ea, quae post mortem Leocratis adversarii fecerint ut ipsum expellerent. Unicuique parti addita est argumentatio, qua id quod sequitur magis perspicuum iudicibus reddere studet orator. Quam dispositionem in universum quidem aptam esse concedo [2]). Est enim bonorum oratorum, ne iudicum animos fatigent, narrationem, si longior est, partiri et addita argumentationis parte quasi quiescendi facultatem dare. Hac enim ratione adhibita et orationis perspicuitatem et suam fidem augent. Sed tamen neminem, si quidem iterum libellum suum evolvet, fugere potest dispositione partes commemorari, quae nondum dictae sint, sententias promitti, quae spatio aliquo interiecto sequantur, leges recitari, quibus ipsius verba impugnentur atque refutentur. Hoc credat, qui volet. Aliis praeterea suspectum fit, a Demosthene scriptum esse libellum. Etenim is, ut omittam garrulitatem scriptoris, nec potuit litium nomina inter se commutare, nec solebat *πίστεις ἀτέχνους* quae vocantur post argumentationem addere, sed statim post narrationem eas adiciebat.

C. De argumentatione.

C. Nec meliora sunt quae sequuntur. Iam inde a §. 45. agit orator de re ipsa, quae in iudicium venit, de diamartyria a Leochare interposita, atque continetur §. 45. partitio totius reliquae partis. Nam dicturum se esse promittit orator *περὶ τῆς διαμαρτυρίας αὐτῆς καὶ περὶ τῶν νόμων καθ' οὓς*

διὰ τοὺς νόμους. Sed hoc est inepte dictum. Melius est quod exhibent codices A et r: οὐ διὰ τούτους, ἀλλὰ διὰ τοὺς νόμους, „persuasum iis est non quod his (Leostrato eiusque sociis) minus faverent, sed ut legibus obsecundarent" (Henr. Schaeferus.) Sed tamen nec τούτους nec quod Sauppius coniecit αὐτοὺς sufficere mihi videtur. Equidem exspectarem, si a bono scriptore perpolita esset oratio, δι' ἡμᾶς.

1) Quod quidem per fraudem dictum esse antea ostendi.

2) Ex parte aliter nunc indicat Blassius p. 509.

ἀξιοῦμεν κληρονομεῖν. Atque per fraudem quidem interpositam esse diamartyriam cognosci primum ex eo quod, cum Leocrates II improles mortuus esset, nemo filius exsisteret (46—48), deinde, quod nec verbo *γνησίῳ* nec *κυρίῳ* recte usi essent adversarii. Etenim *γνήσιον υἱὸν* esse naturalem filium, *κύριον* autem de patre usurpari, qui filium sibi assumeret (49—50). Tum in diamartyria nihil scriptum esse de adoptione, quamquam adoptatum esse Leocharem adversarii testati essent (51). Denique hereditatem postulari et a patre et a filio, quorum uterque eiusdem Archiadis filium se esse contenderet. Sed videamus singula quam confuse atque perverse dicta sint. Statim in paragrapho 46. incidimus iterum in verba, quibus adoptionem ipse probat: (*ὁ γὰρ Ἀρχιάδης ἐκεῖνος, οὗ ἐστιν ὁ κλῆρος, ἐποιήσατο υἱὸν τὸν τοῦ διαμεμαρτυρηκότος νυνὶ πάππον*). Praeterea hoc loco nimia verbositate explicatur Leocratem I adoptatum esse et discessisse, deinde Leostratum patrem, tum Leocratem II in Archiadis domo mortuum esse. Nonne brevius hoc dici potuit? Deinde §. 48. demonstratio eodem revolvitur unde profecta est. Nam postquam §. 47. orator explicavit: *ὥστε γίγνεται ἔρημος ὁ οἶκος καὶ ἐπανελήλυθεν ἡ κληρονομία πάλιν εἰς τοὺς ἐξ ἀρχῆς ἐγγύτατα γένους ὄντας. πῶς ἂν οὖν εἴησαν κατὰ τὴν διαμαρτυρίαν υἱεῖς ἔτι τινὲς τῷ Ἀρχιάδῃ, ᾧ οἱ μὲν εἰσποιηθέντες ὁμολογοῦνται ἐπανεληλυθέναι, ὁ δ' ἐγκαταλειφθεὶς τελευταῖος ἄπαις τετελεύτηκεν;* pergit confuse: *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν οἶκον ἔρημον εἶναι*, et statim: *ὁπότε δ' ἔρημός ἐστιν ὁ οἶκος, οὐκ ἂν εἴησαν υἱεῖς ἔτι ἐκείνῳ γνήσιοι.* Sanae mentis orator omnia inde a verbis *ᾧ οἱ μὲν* — usque ad verba *υἱεῖς ἔτι ἐκείνῳ γνήσιοι* omisisset. Sed ubique probatur summam manum non esse huic orationi impositam.

Tum perperam explicantur verba §. 49. *γνησίων ὄντων παίδων* et *κυρίως κατὰ τὸν θεσμόν*, eademque fraus repetitur §. 64. *ἀδύνατον γάρ ἐστιν υἱὸν γνήσιον ἐγκαταλιπεῖν, ἐὰν μὴ γόνῳ γεγονὼς ᾖ τινί.* Non enim student adversarii iudices decipere, sed recte et iuste se *γνησίους* dicunt. Nam eadem lex quae affertur: *ἣν ἂν ἐγγυήσῃ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ἢ πάππος,*

ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους [1]) nihil sane aliud dicit quam: legitimos liberos nasci non posse nisi e muliere a propinquis iuste ac rite nuptum data. Non igitur opponitur *γνήσιος* filius adoptato, sed spurio, id est ei, qui aut ex muliere non cive Atheniensi aut ex parentibus civibus non iusto matrimonio coniunctis natus est. *γόνῳ* autem sunt *γεγονότες*, quod ipso verbo quod est *γόνος* significatur, naturales qui dicuntur filii, id est omnes quoscunque quis habet liberos non adoptatos neque nuptiis in domum ascitos, sive legitimi sunt sive spurii. Si quid lex de his sancire voluisset, non postulasset, ut a propinquis more ac ritu Atheniensium uxor daretur. Permultis hoc probatur et grammaticorum et aliorum scriptorum testimoniis. Legimus enim non solum apud Pollucem III, 21. *καὶ γνήσιος μὲν ὁ ἐκ γυναικὸς ἀστῆς καὶ γαμετῆς*, sed etiam Isaeus compluribus locis demonstrat filios quosdam esse genuinos, quod, cum in phratores introducerentur, patres testimonio confirmavissent, *ἐξ ἀστῆς καὶ γαμετῆς γυναικός* eos natos esse [2]). Quod idem confirmandum erat, si quis filium adoptare voluit [3]). Nemo enim iustus erat heres nisi *γνήσιος* [4]). Opponendum autem esse *γνήσιον* filium *νόθῳ* testes sunt Athenaeus XIII. 577, 38: *ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται νόθον εἶναι*, Pollux III, 21: *νόθος ὁ ἐκ ξένης ἢ παλλακίδος*, Aristoph. aves 1649, ubi Hercules spurius filius dicitur: *νόθος γὰρ εἶ κ᾿ οὐ γνήσιος*, quod verbum postea explicatur: *ὢν γ᾿ ἐκ ξένης γυναικός*. Tum lex illa qua sancitum erat *νόθῳ δὲ μή εἶναι ἀγχιστείαν παίδων ὄντων γνησίων* [5]). Filius contra *γόνῳ γεγονὼς* est qui aliis locis *φύσει* natus dicitur contrariusque est *τῷ εἰσποιητῷ*, quod egregie probat Isaeus III, 61: *τοῖς μὲν γὰρ, ὅτι γόνῳ γεγόνασιν, οὐδεὶς ἂν δήπου ἀμφισβητήσειε περὶ τῶν πατρῴων· πρὸς δὲ τοὺς εἰσποιητοὺς ἅπαντες*

---

1) Ad verbum paene expressa legitur haec lex Ps. Dem. XLVI, 18.

2) cf. Is. VI, 25, VIII, 19, Dem. pro Eubul. 54. al. si non introducti erant, spurii habebantur, Isae. III, 75.

3) Is. VII, 16, X, 9, cf. VI, 44.

4) Is. VI, 25 al. locis.

5) Aristoph. aves 1660 et Ps. Dem. Mac. 51 cf. etiam Philippi, Gesch. d. att. Bürgerrechts p. 40 sq.

οἱ κατὰ γένος προσήκοντες ἀμφισβητεῖν ἀξιοῦσιν. Fieri igitur potuit et sine dubio saepissime factum est, ut idem Atheniensis et εἰσποιητός et γνήσιος esset, atque saepissime a talibus diamartyria interponebatur [1]). Luce igitur clarius est recte iusteque Leocharem se γνήσιον filium dixisse. Praeterea quam inepte interpretatus est orator vocem κύριον! quasi nec alterum nec tertium genus adoptionis κύριον esset et haec vox nisi de adoptionibus nunquam usurparetur. Nihil puto stultius unquam esse dictum; etenim ne sophistica quidem arte haec excogitata dicas, nam qui potuit homo sanae mentis sperare tam imperitos futuros esse iudices rerum notissimarum, ut hac argumentandi ratione deciperentur neque contra ira excitarentur?

Qua fallace interpretatione verbi γνήσιος facultatem etiam sibi paravit actor ostendendi in §. 51, adversarios duas res plane diversas sequi, cum diamartyriam fecissent pro naturali Archiadis filio, in iudicio autem de adoptatione dicturi essent. Quod autem addit γνησίων ὄντων in diamartyria ideo scriptum esse, cum addere non potuissent ποιησαμένου τοῦ Ἀρχιάδου non recte dictum videtur. Etenim quamquam nescimus, num in diamartyria testator utique nominandus fuerit, tamen patet nec verbis γνησίων ὄντων adoptionem ullam negari nec contra ius Atheniensium Leocharem in domum propinqui Archiadis introductum esse.

Sed videamus ad quas ineptias in paragraphis 54. et 56. orator deferatur. Dicit enim, Leocharem cum diamartyriam interponeret de se et de patre absurdam rem fecisse: si de se solo dixisset sanum id futurum fuisse, de patre autem, qui maior natu esset, hoc non licuisse, cum leges vetarent audita ex aliis quemquam testari nisi mortui essent. Leostratum autem ipsum, quamquam propter aetatem debuisset, diamartyriam non intendisse, ne ipse rationem dare cogi posset. — Quasi tanta religione ac verecundia litterae capti essent iudices, ut propter legis verba sophistica arte adhibita statuerent, minorem natu fratrem contra ius et fas quae audi-

1) testis est Isaeus cuius complures orationes ad talem causam spectant.

visset quaeque in domo sua fieri vidisset dixisse, et quasi non satis constaret, ea sola de causa Leostratum diamartyriam non interposuisse, quod nondum in lexiarchico codice inscriptus esset [1]).

Sed haeremus etiam in singulis. Etenim §. 54. explicantur verba *γνησίους υἱούς* in hunc modum: *τόν τε αὑτοῦ πατέρα δηλονότι καὶ αὐτὸν κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ποίησιν.* Atque *αὐτὸν* leni spiritu notatum legimus in omnibus libris; sed nullo modo hoc potest intellegi. Exspectamus enim Leocharis nomen. Sed etiamsi omittimus spiritum, cum a librariis facillime corrumpi potuerit, tamen minime quadrat sententia ad rem cum propter verba *κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ποίησιν*, tum *οὐκ ἐπιλογισάμενος ὅτι ἐπανεληλυθότες ἦσαν.* Etenim non Leochares ipse erat primus adoptatus, sed avus eius Leocrates maior, neque ipse recesserat ad Eleusinios, sed pater Leostratus II et avus Leocrates I. Nequicquam inseruit H. Schaeferus post *αὐτόν* articulum *τόν*. Etenim quamquam perfacile a librariis post *αὐτὸν* vocula *τόν* omitti potuit, tamen verbis *καὶ αὐτὸν κατὰ τήν ἐξ ἀρχῆς ποίησιν* iterum avus Leocharis designatur, pro quo ille non contestatus erat. Ego vero suspicarer si accuratius composita esset oratio: *τόν τε αὑτοῦ πατέρα δηλονότι καὶ αὐτὸν κατά τὴν πρῴην καὶ χθὲς* [2]) *ποίησιν, οὐκ ἐπιλογισάμενος ὅτι ἐπανεληλυθὼς ἦν,* ubi *πρῴην καὶ χθές* eodem sensu dictum esset quo §. 42. *ὡς υἱὸν ὄντα γνήσιον τοῦ τετελευτηκότος ἔτη πολλὰ τὸν πρῴην καὶ χθὲς ἐγγραφέντα* et Dem. XVIII, §. 130. *χθὲς μὲν οὖν καὶ πρῴην ἅμ' Ἀθηναῖος καὶ ῥήτωρ γέγονε*, nempe significans iniuste illum esse adoptatum [3]). Pluralis *ἐπανεληλυθότες ἦσαν* non oriri non potuit, si quis sensu loci non satis perspecto

1) Iterum iterumque mihi rem reputanti fit verisimilius hoc loco oratorem consilio confudisse diamartyriam a Leochare intentam et testimonium a patre datum, praesertim cum etiam §. 51. singulari numero dicat: διαμεμαρτυρημένα εἶναι ὡς ὑπὲρ υἱοῦ γόνῳ γεγονότος, τὰ δ' αὐτίκα μάλα ῥηθησόμενα ὡς εἰσποιητοῦ. Valde doleo, quod adversarii oratio non tradita est.

2) pro ἐξ ἀρχῆς.

3) cf. quae disseruit Philippi: Geschichte des att. Bürgerrechts p. 121 seq.

pro *πρώην καὶ χθές* — *τὴν ἐξ ἀρχῆς* legere sibi videbatur. Tamen haud tenuis mihi inicitur scrupulus, utrum censendum sit etiam pronomen *ἐκεῖνος*, quod desideratur, si singulari utimur *ἐπανεληλυθὼς ἦν*, a librariis omissum esse, an a scriptore ipso, quippe qui neglegentius orationem composuerit. Pro certo sane ex hoc loco nihil aliud potest colligi, quam quod ex sensu perspicuum est, foeda sophistarum arte hanc partem esse excogitatam.

Nec aliter res se habet §. 55. *νὴ Δί', ἀλλ' ἀκηκοὼς τοῦ αὐτοῦ πατρὸς διαμεμαρτύρηκεν· ὁ δέ γε νόμος ἀκοὴν τῶν τετελευτηκότων κωλύει διαμαρτυρεῖν ζῶντος τοῦ πατρὸς τὰ ὑπ' ἐκείνου πραχθέντα.* Frustra hunc locum explicare studuit Reiskius, frustra sanare Wolfius et Seagerius [1]). Nemo enim eorum intellexit sensum, qui est hic: „Verba ex aliis audita pro testimonio apud iudices non licet afferre, nisi qui dixerunt mortui sunt“ [2]). Contra ius enim et leges Leocharem ea contestatum esse ait, quae ex ore vivi patris audivisset. Atque ad sensum quidem recte Schoemannus hunc locum expungendo sic restituit: *ὁ δέ γε νόμος ἀκοὴν [τῶν τετελευτηκότων] κωλύει διαμ. κτλ.* [3]) ratus verba *τῶν τετελευτηκότων* ex interpretatione marginali locutionis *ἀκοὴν μαρτυρεῖν* orta esse. Quod tamen ne concedamus obstat, ut recte vidit Henricus Schaeferus [4]), manifesta oppositio verborum *τῶν τετελευτηκότων* et *ζῶντος τοῦ πατρός*. Itaque dum considero nihil possum aptius ad sententiam invenire, quam insertis tribus voculis: *ὁ δέ γε νόμος ἀκοὴν μ ὲ ν τῶν τετελευτηκότων ἐ ᾷ, κωλύει δ ὲ διαμαρτυρεῖν ζῶντος τοῦ πατρὸς τὰ ὑπ' ἐκείνου πραχθέντα*, vel: *ὁ δέ γε νόμος ἐ ᾷ μ ὲ ν — — — κωλύει δὲ* —. Etenim latissime patet id genus mendorum quod defectu parvae particulae (*δὲ*) ante vocem ab eadem littera incipientem (*διαμαρτυρεῖν*) continetur. Illud tantum magis dubium esse potest, ubinam verba *ἐᾷ* et *μέν* inseramus. Nam in soloecismo *ζῶν-*

1) Diar. classic. 60 p. 267.

2) cf. [Dem.] XLVI, 7 ἀκοὴν δ' οὐκ ἐῶσι ζῶντος μαρτυρεῖν ἀλλὰ τεθνεῶτος.

3) de lite Attica p. 669.

4) in editione sua ad hunc locum.

τος τοῦ πατρὸς τὰ ὑπ᾽ ἐκείνου, ubi meliores scriptores participium coniunctum quod dicitur adhibent, hic scriptor non haesit.

Iam inde a §. 57. omnia plana sunt. Refutat enim orator diamartyriam argumentis extrinsecus petitis, atque persuadere studet iudicibus, improbi et litigiosi hominis esse diamartyria uti, quippe quae non sit necessaria sicut alia litium genera. Institutam enim esse eam a Solone, ut, si quis intenderet, morum eius testimonium cives haberent. Atque aperte iram iudicum excitare studet cum addat §. 59. si cuilibet in ius vocato contestationem facere liceret, mox futurum esse ut omnia iudicia irrita fierent [1]).

Ultima denique orationis parte orator ut erat propositum (§. 45.) de legibus dicit, quibus hereditas sibi detur. Instituit autem hoc ita, ut iterum adversariorum genere explicato, cum reliqui recesserint atque Leocrates mortuus sit, proximum se esse Archiadi confirmet. Itaque cum, leges iubeant *κρατεῖν τοὺς ἄρρενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων*, suam esse hereditatem, non licere per leges adoptato filio filium sibi asciscere. Quod quidem per fraudem dictum, esse cum sine dubio Solonis lex nihil spectaret nisi ne hereditas in manus hominis defuncto prorsus alieni perveniret, supra [2]) explicasse mihi videor. Sed tamen si Leocrates filium sibi assumpsisset tacituros se fuisse confirmat. Cum non adoptaverit ius et fas esse hereditatem eos possidere, qui Archiadem eiusque domum, si calamitate et miseria oppressa esset, adiuvare debuissent.

Ac sensus quidem in universum perspicuus est, duobus tamen locis graviter offendor. Nam post verba §. 62. *ὁ γὰρ νόμος, ὦ ἀ. δ., κελεύει κρατεῖν τοὺς ἄρρενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων· οὗτοι δ᾽ ἡμεῖς ἐσμέν*, nequaquam recte concluditur: *οὐκ ἦσαν τοίνυν παῖδες ἐκείνῳ* et *οἱ δ᾽ ἀγχιστεύοντες ἡμεῖς*

---

1) In §. 59. ἔτι τοίνυν ἐπὶ τὸ τῶν διαμαρτυρούντων μέρος praepositionem ἐπὶ expungendam esse censet Cobetus, Miscellanea critica. Lugduni Batav. 1876 p. 568.

2) p. 13 seq.

ἐσμέν. Nescio an haec (οὐκ ἦσαν — ἡμεῖς ἐσμέν) deleturus fuerit orator, si ultimam limam attulisset [1]).

Praeterea incipit §. 67 a verbis: „τὸ δὲ πάντων μέγιστον καὶ γνωριμώτατον ὑμῖν", quibus verbis adducimur, ut novum quoddam atque grave argumentum exspectemus. Sed quid sequitur? ὁ γὰρ τοῦ Σόλωνος νόμος οὐδὲ διαθέσθαι τὸν ποιητὸν ἐᾷ τὰ ἐν τῷ οἴκῳ, ὅτῳ ἂν ποιηθῇ. Constat autem inter doctos viros, notiones διαθέσθαι et εἰσποιήσασθαι ita non inter se diversas fuisse, ut vel qui vivus filium sibi assumeret διαθήκην facere diceretur [2]). Transferebantur enim etiam testamento omnia eadem iura omniaque officia, quae ei tradebantur, qui inter vivos adoptatus erat. Itaque non solum qui, cum testari potuisset, intestatus mortuus erat, ἄπαις, sed etiam heres testamento institutus εἰσποιητός dicebatur; quod quidem compluribus veterum testimoniis comprobatur. Si tamen orator id discrimen facere voluit, ut, cum ostendisset §. 63—65 vivo Leocrati filium assumere non licuisse, hoc loco ne testamento quidem eum adoptare potuisse contenderet, primum mihi videtur mirum, cur hoc demum loco Aristoteles, postquam antea solis verbis quae sunt νομοθέτης et νόμος usus est, nominatim „ὁ γὰρ τοῦ Σόλωνος νόμος" dicat, tanquamsi nunc primum egregii legislatoris mentionem faciat. Deinde cur tandem dicit de testamento post totam longam paragraphum 66, qua similis res minime continetur? Nonne multo melius hoc ante 66. fieri potuit, cum de lege dissereretur, quae ad adoptatos inter vivos pertinebat, praesertim cum iam ibi commemoraretur: ἢ εἰ διαθήκας κατελελοίπει, καὶ ταύταις ἂν ἐνεμείναμεν? Accedit quod manifestum puto, §. 66. totam de legibus partem concludi his verbis: ἐπεὶ δὲ νυνί ποτε ὑπὸ τούτων αὐτῶν καὶ ὑ π ὸ τ ῶ ν ν ό μ ω ν τὸ πρᾶγμ' ἐξελήλεγκται, οἰόμεθα δεῖν κληρονομεῖν τῶν Ἀγχιάδου καὶ παρ' ἡμῶν. εἶναι τὸν εἰσποιούμενον τῶν μὴ πεποιημένων πρότερον, μὴ παρὰ τούτων, qua in paragrapho etiam alia lex, quae ad adoptiones non spectabat, breviter commemoratur. His omni-

1) Simile est Blassii iudicium p. 510, annot. 1.

2) cf. praeter ceteros Hermanni antiqu. III 65, 18, Schneideri libr. de iure hered. Ath. p. 26 seq.

bus consideratis facere non possum, quin censeam, paragraphos 67—68 apto loco non esse positas. Possumus autem has paragraphos nec alio loco integras inserere, nec verisimile est eas a rhetore quodam esse compositas. Nihil ergo reliquum puto, quam ut concedamus, oratorem ipsum §§. 67—68 scripsisse, postquam uno impetu hanc de legibus partem ad iustum finem perduxisset. Quod si recte disputavi, hoc saltem loco etiam intellegitur, qui fieri potuerit, ut orator verbis illis ex lege desumptis *ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας υἱὸν γνήσιον ἐπανιέναι* contra ea pugnaret, quae §. 20 et 21 contenderat. Nempe speravit summa lima adhibita se totam orationem perpolire posse.

D. Omisisse oratorem conclusionem.

D. Iamque hic locus esto pauca addendi de conclusione orationis, quam deesse ipse iamdudum collatis inter se ceterarum orationum epilogis cognovi. Qua in re magno affectus sum gaudio, cum ante hos paucos menses evolvens Reiskii versionem Germanicam et Musei Rhenani tomum XVI, p. 476 cognoscerem etiam Reiskium et Spengelium, de oratoribus Graecis bene meritos viros, cum neuter alterius sententiae notitiam haberet, ita mecum consentire, ut profecti a dispositione (§. 45) non solum epilogum sed etiam eam partem orationis desiderent, qua, quae ab adversariis obici possint, refutentur [1]). Dixerat enim orator §. 45: *λοιπὸν δ' ἐστὶ περί τε τῆς διαμαρτυρίας αὐτῆς εἰπεῖν καὶ περὶ τῶν νόμων καθ' οὓς ἀξιοῦμεν κληρονομεῖν· ἔτι δὲ, ἂν ἐγχωρῇ τὸ ὕδωρ καὶ μὴ μέλλωμεν ὑμῖν ἐνοχλεῖν, ἐξελέγξαι τὰ ὑπὸ τούτων ῥηθησόμενα, ὅτι οὔτε δίκαια οὔτε ἀληθῆ ἐστιν. καὶ πρῶτον μέν κτλ.* Ac diamartyriae quidem locus est usque ad §. 59, ubi de legibus dicere Aristoteles incipit, quae sibi dent hereditatem; sed ubinam est refutatio? Potest actor ille quidem, quoniam non sine condicione *ἂν ἐγχωρῇ τὸ ὕδωρ καὶ μὴ μέλλωμεν ὑμῖν ἐνοχλεῖν* promisit, propter temporis brevitatem aut taedium iudicum haec omisisse videri, sed tamen concedendum est eum, ne mendax exsisteret, tum melius fuisse de hac parte silere, praesertim cum haud magno spatio interiecto

1) Mirum est quod Blassius p. 509 omnes paragraphos 60—68 epilogum esse putat.

inter propositionem et finem orationis ex audientium memoria facile excidere non posset. Dices fortasse, aliud quoque exemplum promissi non servati esse nobis traditum contra Neaeram §. 20: *ἣν μὲν οὖν ἕκαστος αὐτῶν ἐκτήσατο καὶ ὡς ἐλευθερώθησαν ὑπὸ τῶν πριαμένων αὐτὰς παρὰ τῆς Νικαρέτης, προϊόντος τοῦ λόγου, ἂν βούλησθε ἀκούειν καί μοι περιουσία ᾖ τοῦ ὕδατος, δηλώσω ὑμῖν.* Sed ut omittam hanc orationem non a Demosthene esse conscriptam, apertissimae istic insunt excusationes. Etenim promissum hoc non solum in prima orationis parte datum est, ut facile iudices possent oblivisci propter multitudinem et rerum et rationum postea allatarum, sed ne tantam quidem habet vim, quantam in Leocharea. Nam Apollodori oratio spectat ad Neaeram solam, quam a prima aetate *πόρνην* non liberam fuisse et postea ab amatoribus in libertatem vindicatam esse orator contendit. Verba illa ob id solum commemorantur ut cognoscant iudices, actorem totam rem tam penitus exploratam habere, ut, si vellent, etiam de ceteris rebus, quae non arte cum causa cohaererent, satis accurate dicere posset. In Leocharea autem refutatio maximi erat momenti, quippe qua fieri posset, ut iudices Leocharis verbis minime confisi in gratiam accusantium facerent iudicium.

Quod tamen Spengelius p. 479 contendit abscissam quasi atque amputatam esse partem illam de legibus nec concludi satis apte ad normam, refutasse hoc mihi videor. Nam remotis §§. 67. et 68. iustam et bonam habemus conclusionem §. 66. Illud vero licet quaerere, utrum refutatio et epilogus codicibus obtruncatis amissa, an ab ipso scriptore nunquam scripta sint. Ac mihi quidem verisimilius est hoc quam illud. Etenim primum — quod quidem per se non satis certum est documentum, quoniam librariis aut grammaticis hoc debere possumus — in ultimis paragraphis nullus defectus potest investigari, non mutila est ultima sententia, sed plana est atque perspicua. Deinde ne reliquam quidem partem praeter §§. 1—3 politius limatam esse ostendisse mihi videor. Tum refutatio longe difficillima orationum pars est, a bono autem scriptore profectam non esse orationem fere

unaquaque paragrapho comprobatur. Praeterea refutatio componi non potuit nisi exploratis iis, quae dicturi essent adversarii, cum omnia cetera iam essent litteris mandata. Minime denique casui tribuendum esse puto, quod remotis paragraphis 67. et 68. satis aptam habemus huius partis conclusionem.

De hiatuum numero.

Atque haec quidem hactenus de dispositione et de connexu sententiarum. Iamque arbitror, iudicium meum, non esse ad finem perductam hanc orationem, optime confirmari etiam numero hiatuum, qui creberrimi inde a paragrapho quarta per totam orationem dispersi sunt. Constat enim Demosthenem auctore Isocrate etiam in vitando vocalium concursu operam aliquam posuisse [1]. Non autem tam anxie fugit hiatus, ut nunquam etiam graviores admitteret, sed tamen ita, ut semper causa vel excusatio aperta esse soleat. Admittuntur enim non solum eae vocalium concursiones, quae crasi, synizesi, elisione, aphaeresi, apocope removeri possunt [2], sed etiam ubi orator sermonem vulgarem imitatur, ubi numeros exponit, ubi aures civium concutere atque excitare vult [3]. Concursu enim gravi vocalium teretes Atheniensium aures non minus movebantur, quam viri musicae artis periti, si in iucunda atque dulci harmonia absonam quandam vocem repente audiat [4].

Haec autem etiamsi omnia etiam ei condonamus, qui Leochaream scripsit, tamen magnus numerus foedissimorum hiatuum relinquitur; quos quidem enumerare mihi liceat, ut cognoscamus fere in unaquaque paragrapho inde a quarta tales deformitates inveniri [5].

4, *τῷ δικαίῳ ἐπιστεύομεν.* 6, *τουτοισὶ ἔσται, — γνήσιοι ὄντες, — μικρῷ ἄνωθεν.* 8, *τούτῳ ἐνισχυριζόμεθα.* 9, *γίγνονται Εὐθυμάχῳ τῷ Ὀτρυνεῖ υἱεῖς — ᾗ ὄνομα ἦν — Λεωστράτῳ*

1) De hac re disseruerunt: Benseler, de hiatu in oratoribus Atticis p. 62—167, Rehdantz. ind. Demosth. [3], p. 173, Blass, att. Beredsamkeit III, 1, p. 97.

2) Voemelius, cont. Demosth. p. 1 seq.

3) ibid. p. 2 seq.

4) Dionys. Halicarn. περὶ δεινός. Δ. c. 38.

5) Benselerus partem tantum hiatuum protulit. idem non recte addidit §. 2 γένει ἀποδιδόντος, ubi meliores codices γένους exhibent.

Ἐλευσινίῳ — οὐ πολλῷ χρόνῳ γαμεῖ ὕστερον (alii codices: χρόνῳ ὕστερον). 10, γίγνεται αὐτῷ — τῷ ἀδελφῷ ὄντι τῷ ἑαυτοῦ ἐκδοῦναι — ἤδη ὁ — γίγνονται ἐξ αὐτοῦ υἱεῖς — οὑτοσὶ ὁ πατήρ. 11, ἐν ᾧ ἐστι — γένει ἐγγυτάτῳ — τῆς ἐκείνου οὐσίας. 13, οἱ αὐτοὶ οὗτοι — γίγνεται Ἀρχιάδης — μητρὶ ἐκ πατραδέλφων — ἀπωτέρω ἐστί — ἀδελφιδῆ ἦν. 14, ἀναγνώσεται ὑμῖν. 15, ποιήσει ἰσχυρίζονται — δήπου ἄπαιδος (sic Wolfius et alii pro παιδός) — ἐγγυτάτω γένει ὄντας. 16, ἐμβεβατευκέναι εἰς — Λεωστράτῳ Ἐλευσινίῳ. 18, ἐν Σαλαμῖνι ᾤκει — χρόνῳ ὕστερον. 19, Λεωστράτου εἰσποιεῖ αὐτὸν — ἐν τῷ οἴκῳ εἶναι. 20, Ἀρχιάδου οὐσίαν — ἐκείνου υἱὸς — συγχωρῆσαι ἡσυχίαν — οἴκῳ υἱόν. 21, οὐδέπω ἡμεῖς. 22, Ἀρχιάδου οἴκου. 23, τοῦ Ἀρχιάδου οὐσία. 24, Ἀρχιάδου ἐγκαταλειφθείς. 25, γένει ἐγγυτάτω ὄντες — τῷ αὐτῷ ὄντι υἱόν — γένει ἦν — αὐτῷ υἱός — δίκαιοί ἐσμεν. 26, οὗ ἦν — γένει ἐσμὲν — γένει ἐγγυτέρω ἐστί. 27, Ἀρχιάδου υἱόν. 28, τοιαύτη ἐστὶν — ἐν τῷ οἴκῳ υἱοῦ. 29, τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος — τούτου ἄπαιδος — ἀποστερῆσαι ἡμᾶς. 30, ἀληθῆ εἰρήκαμεν. 31, κεχρημένοι εἰσιν — κλήρου ἀγῶνα. 32, ταφὴ ἐγένετο — αὐτοῦ εἶναι — φύσει ὄντι. 33, ἐρήμου ὄντος — ἐφ' ᾗ ἐγκατάλιπε. 34, ἐπανεληλύθει εἰς — οἱ εἰσποιητοὶ οὐκ αὐτοὶ ὑφ' αὐτῶν. 36, Ἀρχιάδου εἰσποιηθῆναι. 37, ἐγγράψαι αὐτόν — ἐπειδὴ οἱ ἄλλοι — δημόται ἐλάμβανον — ἐγγραφῆναι εἰς — Ἀρχιάδου ὄνομα. 38, ἐγγραφῆναι εἰς. 39, ἠξίου οὗτος — εἶναι ἐν. 40, τοῦ κλήρου ἡ — ἐδόκει εἶναι — τοῦ κλήρου εἰσποιεῖν. 41, αὐτοῦ υἱόν — ἐπειδὴ ἐνεγράφη. 42, συμβαίνει ἀμφοτέρους. 43, τετελευτηκότι εἰσποιεῖ αὐτὸν — ἐγγυτάτω ἡμῶν. 44, οὑτοσὶ ἐγκαταλιπών — αὐτοῦ ἔτι. 45, ἀληθῆ ἐστιν. 46, οὗ ἐστιν. 47, γίγνεται ἔρημος — ᾧ οἱ μὲν. 48, ὁμολογοῦνται ἐπανεληλυθέναι — ᾧ οἱ. 49, γενέσθαι υἱὸν. 50, ἐγγέγραπται Ἀρχιάδῃ υἱὸς — φαίνεται οὐκ. 51, λόγου αὐτίκα — ψευδῆ εἶναι — ἐγγράψαι αὐτοὺς. 52, αὐτοὶ ὁρᾶτε — Ἀρχιάδου υἱὸν εἶναι. 53, οὔπω ὁ — μήπω ἐν. 54, Ἀρχιάδου ὤν — κλήρου ἐγένετο — ἐκείνῳ εἶναι. 55, οὑτοσὶ οὐχ. 56, διαμεμαρτυρῆσαι οὐκ — εἶναι ἀληθῆ. 57, διαμαρτυρίαι εἰσί. 58, ἑκάστου ἡμῶν. 59, ἀποκλείει εἰσαγωγῆς. 60, ἐν ἀρχῇ εἰρημένοις. 61, οὗ ἔστιν ὁ.

62, *Λεωστράτου ἀφελόμενοι.* 63, *ἐκκλείεται εἷς ἕκαστος* (*εἷς* om. A. r.) — *ἡ ἄδεια αὕτη.* 64, *ποιητῷ αὐτῷ ὄντι* — *εἴπῃ υἱὸν γνήσιον* — *τετελευτηκότι εἰσποιητῷ εἰς τὸ.* 65, *τοιοῦτοι ὄντες.* 67, *τὰ ἑτέρου οὐχ.* 68, *εἰσῄει εἰς* — *ἐξεῖναι αὐτοῖς.*

Iam vero tam multas si vides deformitates inde a paragrapho quarta per totam orationem ita dispersas, ut in unaquaque fere paragrapho complures insint, luculentissime comprobatur quod explicavi, §§. 1—3 accuratius, reliquas neglegentius scriptas esse. Nec potest dubitari, quin idem orator, si ad iustum finem orationem perduxisset, etiam reliquam partem purgaturus fuerit.

Atque quoniam hoc capite ita nobis progressa est ratio, ut comprobare studuerimus orationem non esse ad unguem politam, alterum nunc argumentandi genus sequendum videtur. Verisimillimum enim iam nunc illud quoque puto, ne sic quidem eam a Demosthene scriptam esse. Restant enim nomina litis perperam dicta, restant perversae illae explicationes verborum *γνήσιος* et *κύριος*, removeri non possunt ii loci, quibus apertissime contra ius et leges Atheniensium denegatur licuisse filium relinquere, si adoptatus quis suam in domum redire vellet, remanent sententiae illae, quibus non perseverat orator in iis, quae antea dixerat, relinquuntur ambages de verbo *λουτροφόρῳ* dictae, negari non possunt quae de argumentatione dixi, non subtili ingenio id spectari, in quo rerum causa versabatur [1]), restat denique tota narrandi ratio a Demosthene aliena, quippe cui nullo loco *πίστεις ἄτεχνοι* quae vocantur addantur. Itaque ut ad iustum finem propagemus disputationem, neve quis censeat hanc orationem quamvis licet sit impolita tamen a iuvene Demosthene scriptam esse posse, perscrutabimur nunc ipsum dicendi genus. Qua in re optimum mihi videtur in univer-

1) Blassius addit p. 509: „Die Ansprüche der Gegner auf Grund der ἀγχιστεία (§. 13) werden nicht hinreichend gewürdigt". Non negaverim hoc. Sed tamen copiosior explicatio necessaria fuisse non videtur, cum, si quidem verba πρὸς ἀνδρῶν et πρὸς γυναικῶν recte explicavi, Leochares tanta Aristodemi ἀγχιστείᾳ superaretur, ut satis esset rem attigisse.

sum eam dispositionem sequi quam sibi Siggius proposuit in libello qui inscribitur: Der Verfasser neun angeblich von Demosthenes für Apollodor geschriebener Reden (Jahrbücher für class. Philol. Suppl. VI, p. 397 sq.)[1]). Dicam igitur primum de arte quae quidem ex hac oratione cognoscitur, deinde de naturali quae vocatur dicendi facultate atque de supellectile verborum, quantum distent a ratione atque consuetudine Demosthenica.

IV.
De arte scriptoris.

Iamque quae figurae egregiam oratoris artem maxime exhibent, *παρονομασία*, *ἰσόκωλον*, *ὁμοιοτέλευτον*, *ἰσοτέλευτον* simil. rarissime adhibentur a Demosthene in privatis orationibus. Affert enim Siggius haec tantum exempla: homoeoteleuti: I, Aphob. 48, quod tamen minus vitatum quam quaesitum videtur. Cyclus est c. Eubul. 54. In Leocharea autem oratione, quamquam perfecta non est, talia non desunt. Nam licet dubites, num §. 11. (*τῆς ἐκείνου οὐσίας κληρονομεῖν καὶ τὸ γένος μὴ περιιδεῖν ἐξερημωθέν*) paronomasia consilio sit petita, tamen restant §. 19. *οὐχ ἡττηθεὶς ἐν δικαστηρίῳ, ἀλλὰ τὸ μὲν ὅλον ὑπὸ τούτων ἀπατηθείς*, et §. 23, quae tota paragraphus artificiosa est, *κἀκείνην μὲν ἀκέραιον φυλάττοντες, ταύτην δ' ἀναλίσκοντες*, quibus exemplis antithesis forma addita est. Adde etiam cyclum §. 27: *οὐδένα εἰσεποίεις τῷ Ἀρχιάδῃ υἱόν· ἐπειδὴ δ' ἡμεῖς συγγενεῖς ὄντες ἥκομεν εἰς τὸ μέσον, τηνικαῦτα εἰσποιεῖς* et regressionem §. 24: *υἱὸς τετελεύτηκεν ἄπαις· τούτου δὲ ἄπαιδος τετελευτηκότος ἀξιοῦμεν ἡμεῖς κτλ.*, ubi tamen melius dixisset orator: *ἄπαιδος δὲ τούτου τετελευτηκότος* (cf. VIII. 25. XVIII. 35. XLII. 9. al. et Hermog. 3. 282: *γίγνεται δὲ ὅταν τὸ τέλος τοῦ κώλου ἑτέρου κώλου τὴν ἀρχὴν ποιήσηται, οἷον δι' ἐμὲ, ἐμέ*). Praeterea ne parechesis quidem deest: §. 35. *παρανομίαν προαιρούμενος παρανομεῖν ἕνεκα πλεονεξίας*. Differt igitur Leocharea

De παρονομασίᾳ ἰσοκώλῳ, ὁμοιοτελεύτῳ, ἰσοτελεύτῳ, sim.

1) hic libellus ad totam hanc partem conferendus est inde a p. 417.

oratio hoc genere et ab iis orationibus, quae ab Apollodoro ipso scriptae videntur, in quibus perpauca similia hic illic inveniuntur, et a genuinis Demosthenicis.

De anadiplosi et anaphora.

Saepius iam inveniuntur apud summum oratorem figurae verborum, quae sunt *ἀναδίπλωσις* et *ἀναφορά*, quibus unum verbum cum repetatur eorum qui audiunt in mente quasi infigitur. Legitur enim haec figura in privatis orationibus bis: XXVII, 57. *οὐκ ἔστι τοῦτο, ὦ ἀ. δ., οὐκ ἔστι*[1]), XXVIII, 20, *βοηθήσατε οὖν ἡμῖν, βοηθήσατε.* Anaphora est XXVII, 20, *ἀντιβολῶ πρὸς παίδων, πρὸς γυναικῶν, πρὸς τῶν ὄντων ἀγαθῶν ὑμῖν*, ib. 23, XXXI, 14, XXXVI, 38, 53, 60, LVII, 6, 28, 46. In Leocharea autem *ἀναδίπλωσις* non inest[2]), *ἀναφορά* hic illic legitur. Non quaesita est quae exhibetur §. 44. *ὡς ἐπανῆλθεν — καὶ ὅτι — καὶ ὡς — τούτων ὑμῖν κτλ.* artificiosius autem sunt dicta §. 23. *καὶ τοῦτο διατετέλεκε ποιῶν μέχρι ταύτης τῆς ἡμέρας, καὶ διὰ τούτου τοῦ τρόπου τὴν κληρονομίαν ἡμῶν, ἀποστερήσειν οἴονται*, et quod simile est 38, *τὸν δὲ — ἀξιοῦντα τὸ θεωρικὸν λαμβάνειν, πρὶν —; ἢ τὸν πρὸ τῆς τοῦ δικαστηρίου γνώσεως οὕτως ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενον, τοῦτον πῶς εἰκός —;* Pro certo igitur nihil ex his colligi potest. Aequat enim Leocharea oratio, si numerum spectes, in universum Demosthenicas, superat eas, quae ab Apollodoro scriptae putantur, cum anaphora sit in illis rarissima (Nicostr. 24 et Euerg. 18).

De antithesi.

Antitheses porro non desunt in genuinis Demosthenis orationibus, quae quidem ad privatas causas spectant (cf. XXVII, 19, 21, 22, 45, 48, 59, aliis locis). Multo autem maior est numerus in hac oratione. Etenim non solum omnes fere prooemii sententiae inter sese oppositae sunt, ut supra ostendi, sed etiam tota fere comprobatio in eodem dicendi genere versatur (cf. §. 11, 23, 24, 42, 43 alias, quae omnes artem aliquam continent). Exempla proferam haec: Minus vitata quam consilio petita videtur antithesis §. 17, *τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων ὁ μὲν Ἀρχιάδης οὐκ ἐγάμει, ὁ δὲ Μειδυλίδης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, πάπ-*

1) cf. Web. Arist. p. 388.

2) Simile tamen est §. 23, ὁπότ᾽ εἰσποιητὸς αὐτὸς ὢν εἰσποιητοὺς υἱοὺς ἐγκαταλιπὼν ἐπανήει.

πος δὲ τουτοὶ ἔγημεν. Artificiosius autem sunt dicta §. 1, τοῦ καὶ **αὐτὸς κρίνεσθαι** καὶ **ἐμὲ** νεώτερον ὄντα λέγειν, 3. **ἡμεῖς** μὲν γὰρ **ταῖς ἀληθείαις πιστεύοντες** εἰσεληλύθαμεν, καί — **οὗτοι** δὲ **τῇ παρασκευῇ** καὶ **τοῖς ἀναλώμασιν ἰσχυριζόμενοι** διατετελέκασιν, 24. ἀξιοῦμεν ἡμεῖς οἱ γένει ἐγγυτάτω ὄντες Ἀρχιάδῃ κληρονομεῖν τῆς οὐσίας, καὶ μὴ (τοῦτον) τῷ τετελευτηκότι τῷ αὐτῷ εἰσποιητῷ ὄντι υἱὸν εἰσποιεῖν —. Porro cum ἰσοκώλῳ et ὁμοιοτελεύτῳ coniuncta est antithesis §. 23. κἀκείνην μὲν ἀκέραιον φυλάττοντες, ταύτην δ' ἀναλίσκοντες, 27. ἕως μέν γε τελευτήσαντος τούτου οὐδεὶς ἠμφισβήτει τοῦ κλήρου, οὐδένα εἰσεποίεις τῷ Ἀρχιάδῃ υἱόν· ἐπειδὴ δ' ἡμεῖς συγγενεῖς ὄντες ἥκομεν εἰς τὸ μέσον, τηνικαῦτα εἰσποιεῖς. Simile est 42. ὅ τε γὰρ Λεώστρατος οὑτοσὶ παρακατέβαλε τοῦ κλήρου ὡς υἱὸς γνήσιος Ἀρχιάδῃ, ὅ τε Λεωχάρης οὑτοσὶ διαμεμαρτύρηκεν ὡς υἱὸς ὢν γνήσιος τοῦ αὐτοῦ πατρός, οὐδέτερος δ' αὐτῶν ζῶντι, ἀλλὰ τετελευτηκότι εἰσποιεῖ αὐτόν. Tum cum enthymemate coniunctum[1]: καὶ γὰρ ἐκεῖνο πῶς οὐ δεινόν ἐστιν, ὦ ἄ. δ., ἐπὶ μὲν τοῦ λόγου αὐτίκα μάλα φάσκειν ποιητὸν εἶναι, ἐν δὲ τῇ διαμαρτυρίᾳ τοῦτο μὴ τολμῆσαι γράψαι, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν ταύτῃ διαμεμαρτυρημένα εἶναι ὡς ὑπὲρ υἱοῦ γόνῳ γεγονότος, τὰ δ' αὐτίκα μάλα ῥηθησόμενα ὡς (ὑπὲρ?) εἰσποιητοῦ; Possum iam multa huius generis exempla afferre, sed ex his iam perspicuum puto scatere orationem contrapositis, cum haud exigua pars eorum, quibus figuras quas supra attuli illustrare studui, in eodem dicendi genere versetur. Superat ergo hoc saltem genere Leocharea oratio, quamquam non est ad finem perducta, omnes Demosthenicas.

Antithesi porro similis est **figura** quae dicitur **κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν**, cuius duo imprimis genera discernenda sunt. Alterum enim est quo prioris partis voci negatae in altera parte vox aliqua affirmans per ἀλλὰ opponitur. Quod genus prout facillimum in deliciis est iis potissimum scriptoribus, qui in incunabulis artis eloquentiae versantur. Adhibetur tamen etiam a Demosthene (cf. XXVII, 8, 12, 15 (bis) 20, 26, 29, 30, 33, 44, 60, 67, 68, XXXVI, 2, 5, 9,

De figura κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν.

1) cf. Rehdantzii ind. p. 164 seq.

13, 30, ubi anaphora addita est, 43, 51, 54, 59, aliis locis. Palmam autem ferre videtur Leochareae scriptor. Legimus enim apud eum: §. 10, οὐκ ἔφη προαιρεῖσθαι γαμεῖν, ἀλλὰ καὶ τὴν οὐσίαν ἀνέμητον διὰ ταῦτα συγχωρήσας εἶναι ᾤκει καθ' αὑτὸν —. 18, καὶ οὐδέπω τὴν οὐσίαν ἐνέμοντο, ἀλλ' ἑκάτερος ἔχων τὰ ἱκανὰ ὁ μὲν Μειδυλίδης — διέμενεν. 19, οὐχ ἡττηθεὶς ἐν δικαστηρίῳ, ἀλλὰ τὸ μὲν ὅλον ὑπὸ τούτων ἀπατηθείς. 21, καὶ οὐδ' ἐνταῦθ' οὐδέπω ἡμεῖς οὐδὲν τῶν πραγμάτων περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν, ἀλλ' ἐμένομεν —. 28, τοῖς μὴ πλεονεκτῆσαί τι βουλομένοις, ἀλλ' ἀγαπῶσιν ἐάν —. 34, οὔθ' ὅτι οἱ εἰσποιητοὶ οὐκ αὐτοὶ ὑφ' αὑτῶν, ἀλλ' ὑπὸ τῶν εἰσποιουμένων καθίστανται. 40, οὐ δι' αὐτοὺς (ἡμᾶς?) ἀλλὰ διὰ τοὺς νόμους. 41, οὐκ εἰσηγμένου δ' εἰς τοὺς φράτεράς πω τοῦ Ἀρχ., ἀλλ' ἐπειδὴ ἐνεγράφη, τηνικαῦτα —. 43, οὐδέτερος δ' αὐτῶν ζῶντι, ἀλλὰ τετελευτηκότι εἰσποιεῖ αὐτὸν. 51, ὁ δ' (Ἀρχιάδης?) οὐκ εἰσεποιήσατο, ἀλλ' ἑαυτοὺς εἰσποιοῦντες ἀποστεροῦσιν —. 55, οὐχ αὐτὸν, ἀλλὰ τοῦτον ἐπεγράψατο τῇ διαμαρτυρίᾳ. 57, οὐκ ἀναγκαίως ἔχουσιν, — ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως καὶ βουλήσεως γίγνονται. 60, οὐχ ὡς οὐ μεμαθηκότες, ἀλλ' ἵνα —. 63, οὐ δίκαιον δήπου — εἰσάγειν, ἀλλ' ἐγκαταλείπειν —. 67, οὐχ οὕτως βουλευτέον ἐστὶν, ἀλλὰ τοῖς νόμοις ἀκολούθως. 68, οὐκ ἐξὸν διαθέσθαι, ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας — ἐπανιέναι. Pro οὐκ — ἀλλὰ verba μὲν οὐ — δὲ quoque usurpantur, quod tamen genus, cum facillime in ineptias incideret, evitatum esse a Demosthene auctor est Rehdantzius ind. p. 161. Tamen in hac oratione unum legitur exemplum §. 16, τοῖς μέν νόμοις οὐκ ἐνισχυριοῦνται, τῷ δέ προειληφέναι —. Vides ergo quantum discedat oratio a consuetudine Demosthenis.

Alterius generis figurae κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν, quo verbum cum negatione coniunctum opponitur affirmationi, quae antecedit, rariora sunt exempla in privatis orationibus. Sunt autem in Leocharea haec: 3, βοηθεῖν καὶ μὴ περιιδεῖν. 13, πρὸς ἀνδρῶν ἔχων τὴν συγγένειαν ταύτην, καὶ οὐ πρὸς γυναικῶν. 15, προσήκει κληρονομεῖν, καὶ μὴ τὴν τοῦ διαμαρτυρήσαντος ἀπόνοιαν κρείττω τῶν ὑμετέρων νομίμων γενέσθαι. 27, τῆς γὰρ οὐσίας τὴν οἰκειότητα, οὐ τῶν ἀνδρῶν — διετήρεις. 59, προελόμενος γὰρ ἕκαστος αὐτῶν — οὐκ ἀναγκασθεὶς εἰσέρ-

χεται. Similis etiam est §. 16. εἰ μὲν γὰρ ἐφ' ἡμῖν ἦν — καταβῆναι καὶ μηδενὸς ἔτι πλείονος λόγου προσδεῖσθαι. Desunt igitur ea huius generis exempla, quibus maxime gaudet summus orator: ἐρῶ καὶ οὐδὲν παραλείψω (cf. XVIII, 56) ἐρῶ καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι (VI, 31, VIII, 73, [XIII] 10, XIX, 3) λέξω καὶ οὐκ ἀποτρέψομαι (XXIV, 1, 104, 200 al.)

De asyndetis et polysyndetis.

Deinde asyndeta et polysyndeta saepenumero a summo oratore esse usurpata facile concedet, quicunque paullisper tantum in Demosthenis orationibus legendis versatus erit. Atque asyndeta quidem, quamquam in privatis orationibus rariora sunt, tamen a Siggio praeter ea, quae cum anaphora coniuncta sunt, afferuntur XXVIII, 20, σώσατε, ἐλεήσατε; ἱκετεύω, ἀντιβολῶ, XXXVI, 47, ἄγεις εἰς μέσον, δεικνύεις, ἐλέγχεις, 52, ἐλαύνεις, συκοφαντεῖς, διώκεις, LVII, 24, λέγω φράτορσι, συγγενέσι, δημόταις, γεννήταις. Polysyndeta et tribus et pluribus membris composita multo frequentiora sunt. Exhibentur enim iis privatis orationibus, quae ab omnibus doctis viris vere Demosthenicae putantur, triginta duo, e quibus quae quattuor habent membra a Siggio laudantur haec: XXVIII, 20, XXX, 39, XXXVI, 14, LVII, 6, et ex quinque membris composita: XXVII, 10, LVII, 70, XXX, 18. In Leocharea autem nihil est simile[1]). Etenim unicum exemplum §. 29: καὶ τοῦ τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος, τούτου ἄπαιδος τετελευτηκότος cum asyndetis Demosthenis non congruit, quoniam altera sententiae pars assumptio logicae conclusionis est. Praeterea licet dubitare, num vocula δέ post τούτου ut omissa a librariis non inserenda sit, similibus enim locis δέ ponitur (§. 12, οὗτοι δ' ἐσμὲν ἡμεῖς, 46, ἐκεῖνος δέ —, μετὰ δὲ ταῦτα —, ὁ δ' ἐγκαταλειφθεὶς —, 62, οὗτοι δ' ἡμεῖς ἐσμέν.). Polysyndeta autem non leguntur, nisi ubi necessaria sunt, id est in enumerationibus: §. 9, γίγνονται — υἱεῖς τρεῖς, Μειδυλίδης καὶ Ἄρχιππος καὶ Ἀρχιάδης, καὶ θυγάτηρ ᾗ ὄνομα ἦν Ἀρχιδίκη, 10, Ἀριστόδημός τε οὑτοσὶ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς καὶ Ἁβρώνιχος ὁ θεῖος καὶ Μειδυλίδης, 44, ὡς ἐπανῆλθεν — καὶ ὅτι — καὶ ὡς — καὶ ὡς —: Superatur igitur Leochareae

1) Idem Blassius p. 510: „Asyndeta indess mangeln auch hier."

scriptor multo et a Demosthene et ab Apollodoro, quorum in orationibus asyndeta et polysyndeta insunt multa.

De synonymis. Iam vero synonyma inter se coniuncta coniunctione quae est καὶ apud omnes oratores praeter Hegesippum ita inveniuntur, ut quo quis est vetustior eo pauciora sint[1]). Omnes autem superat hac dicendi ratione Demosthenes[2]), et in publicis et in privatis orationibus. Is enim cum in iis, quas adolescens scripsit, rarius duas notiones inter se similes coniunxisset, provecta aetate tantum studium huic generi tribuit, ut in oratione pro Phormione habita circiter quadraginta exempla reperiantur partim e duobus partim e tribus verbis composita, in quibus non magna intercedit notionum differentia. Coniungit autem summus orator non solum verba (λέγειν καὶ εἰδέναι, ἀκούειν καὶ μανθάνειν, ὁρᾶν καὶ εἰδέναι, ὁρᾶν καὶ λογίζεσθαι, σκέψασθαι καὶ θεωρήσασθαι, sim.) sed etiam adiectiva (ἁπλοῦν καὶ δίκαιον, ἴσον καὶ κοινόν, sim.) et substantiva (ἔρις καὶ ταραχή, παροινία καὶ μανία, sim.) atque ea quidem ita plerumque, ut longius verbum post brevius ponat. Quo in genere illud potissimum laudi ei tribuebatur, quod altero loco interdum notionem ab ipso primo aut fictam aut usurpatam ponebat, qua collocatione verbum antecedens, si quidem notio eius vetustate obscurata erat, multo clarius et vividius fieret, sicut IX, 28, διακείμεθα καὶ διορωρύγμεθα, VI, 27, ὡς ἐπιβουλεύεσθε, ὡς περιστοιχίζεσθε, VI, 23, ἐξηπατηκότα δ' ἤδη καὶ παρακεκρουμένον, IX, 61, ἐσίγα καὶ κατεπέπληκτο, sim. Atqui in Leocharea pauca insunt synonyma, nec coniunguntur plura quam duo aut adiectiva aut substantiva. Verba enim habemus collocata sola haec: 16, εἰπεῖν καὶ δεῖξαι et §. 23, ἐνεργαζόμενοι καὶ ἐμπαιδοτροφούμενοι. Ne in orandi quidem formula §. 3, legimus δέομαι καὶ ἱκετεύω aut ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ, aut omnibus tribus conglobatis δέομαι καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ[3]). Adiectiva deinde habe-

1) cf. Rehdantz. ind. Dem. p. 166.

2) cf. Dionys. Hal. π. δειν. c. 58.

3) cf. cum omnes orationes ad indices habitas, tum quae dixit Frohbergerus in praefatione ad Lysiam XIV, ann. 81 et quae exempla affert Rehdantzius ind. p. 166.

mus §. 3, *πένητας ἀνθρώπους καὶ ἀσθενεῖς*, 8, *δίκαια καὶ φιλάνθρωπα*, 28, *πένητας καὶ ἀδυνάτους*[1]), *ἄπαιδα καὶ ἄγαμον*, 52, *ἄτοπον καὶ δεινόν*, 57, *ἀδικώτατοι καὶ πλείστης ὀργῆς ἄξιοι*, 67, *μέγιστον καὶ γνωριμώτατον*. Desunt igitur iterum ea, quibus maxime gaudet Demosthenes: *ὀρθὸς καὶ δίκαιος*, *ἁπλοῦς καὶ δίκαιος* alia (Leoch. scriptor dicit *ἁπλοῦν δίκαιον* omissa coniunctione *καὶ* §. 31). Substantiva denique exhibentur hac oratione §. 3, *τῇ παρασκευῇ καὶ τοῖς ἀναλώμασιν ἰσχυριζόμενοι*, 28, *ἡ ἄδεια καὶ ἡ πλεονεξία*, 57, *ἐκ προαιρέσεως καὶ βουλήσεως*, 58, *προπετείας καὶ τῆς μεγίστης ἀπονοίας*. Ergo iterum superatur haec oratio Demosthenicis.

Veniamus nunc ad eam formulam, qua orator iudices alloqui solet; cuius formulae non solum verba sed etiam numerus, quoties adhibita sit, in considerationem venit. Etenim ut vetustiores oratores Antiphon, Andocides, Isaeus ubique fere *ὦ ἄνδρες*, Aeschines et Dinarchus *ὦ Ἀθηναῖοι* usurpabant, ita Lysias, Isocrates, Hyperides, Demosthenes copiosius *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* et *ὦ ἄνδρες δικασταί* dicebant. Nunquam omisit Demosthenes verbum *ἄνδρες*, rarissime *ὦ* atque id quidem indignatione quadam commotus. Nunquam porro legimus apud eum *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* aut *ὦ ἄνδρες δικασταί* in initio enuntiati, sed ubique fere haec allocutio post verba aliquot ita posita est, ut vis eorum augeatur[2]). Praeterea, si ad populum dicit, id est in publicis orationibus, *Ἀθηναίους* alloquitur cives, in iudiciis publicis plerumque *ὦ ἄνδρ. Ἀθηναῖοι*, multo rarius *ὦ ἄνδρ. δικασταί*. In privatis autem orationibus ita non superat formulae *ὦ ἄνδρ. Ἀθηναῖοι* usus, ut in primis orationibus contra tutores habitis iudices semper *δικασταί* appellentur. Iamque numerum harum compellationum docet Siggius, quamquam in privatis orationibus minor sit quam in publicis, tamen tantum esse, ut quaternis circiter paragraphis singulae allocutiones attribuendae sint. Sunt enim in ambabus orationibus contra Aphobum, quae nonaginta tres

De alloquendi formulis.

1) cf. Frohberg. ad Lys. XIV. 44.

2) In initio enuntiati legitur ἄνδρες δικασταί in una genuina XX, 1; ceteri duo loci XXXII, 1; LVI, 37 ex spuriis orationibus desumpti sunt. cf. Rehd. ind. I s. v. Anrede.

paragraphos continent, verba ὦ ἄ. δικ. quinquies decies, in orationibus contra Onetorem, quae quinquaginta tres paragraphos efficiunt, circiter quattuordecies usurpata. In posteris multo frequentiora sunt, nec habemus ibi solum ὦ ἄ. δ. sed etiam ὦ ἄ. Ἀθηναῖοι. Patet igitur oratorem, cum aetate procederet, non solum saepius iudices allocutum esse, sed etiam maiore honore eos habuisse. Etenim δικαστῶν verbo animos eorum in causam ac leges intendebat, sed cum Ἀθηναίους eos appellaret, admonebat, quanto Atheniensium civitas toti Graeciae praestaret. Itaque cum in Leocharea allocutionem ὦ ἄνδρες δικασταί eadem ratione qua in Demosthenicis duodevicies usurpatam habeamus (1, 6, 9, 11, 14, 15, 17, 20, 28, 29, 31, 43, 45, 51, 56, 60, 62, 65), nullum argumentum inde haurire possumus. Nam superat sane Leocharea hac re orationes contra Aphobum habitas, aequat quae contra Onetorem scriptae sunt, cedit eis, quae postea ab egregio oratore compositae sunt, cedit etiam Macarteae et priori Stephanicae. Illa enim exhibet in octoginta quattuor paragraphis, de quibus quattuordecim detrahendae sunt, quae leges et testimonia continent, circiter quinquagies verba ὦ ἄ. δ., haec tricies bis in duodenonaginta paragraphis. Multo minor est numerus in Apollodori orationibus.

De aversione sive ἀποστροφῇ.

Nec melius argumentum aversione sive ἀποστροφῇ praebetur. Etenim Demosthenes ut in publicis orationibus saepe adversarium alloquitur, — legitur enim in oratione de corona ter et tricies ὦ Αἰσχίνη, octies et tricies ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι — ita tamen in privatis orationibus sibi temperat. Nunquam enim appellat adversarios in iis orationibus, quas contra tutores habuit, semel Cononem (LIV, 40), ter Apollodorum (pro Phormione 52, 43—48, 53—54), ter Eubulidem (LVII, 31, 32, 66). Leochareae autem scriptor idem ter alloquitur adversarium §§. 27, 56, 64. Iterum ergo superat hic scriptor Apollodorum et adolescentem Demosthenem, cedit viro corroborato.

De interrogationibus.

Transeo nunc cum Siggio ad interrogationes. Hoc genus dicendi saepissime a Demosthene usurpatur. Interrogat enim is non solum argumentandi et transitionis faciendae causa, sed

etiam ut iudicum animos ad novam rem intendat. Responsa partim adduntur, partim omittuntur. Numerus autem, quamquam in universum causae genere continetur, tamen ita respondet paragraphis, ut in ternas circiter singulae interrogationes cadant. Sunt enim in priore oratione contra Aphobum habita viginti tres, in altera septem, in priore oratione contra Onetorem septem, in altera quattuordecim, in oratione pro Phormione undetriginta, contra Cononem duodecim, contra Eubulidem triginta tres, id est in trecentis viginti paragraphis centum viginti sex interrogationes inveniuntur [1]). Atqui eadem est ratio in Leocharea. Etenim idem fere est numerus qui in priore oratione contra Aphobum habita. Transitionis enim faciendae causa interrogatur: 18, *τί τούτου σημεῖον*, 24, *μέχρι τίνος*, 37, *τί τούτου τεκμήριον*, 64, *τίνα τρόπον διορίσας περὶ τούτων*, quibus simillima sunt quae a Rehdantzio ind. p. 171 afferuntur. Ceterarum autem interrogationum huius orationis etsi numerus aequat Demosthenicum, tamen genus et ratio diversa esse videtur. Nam nunquam interrogat scriptor nisi usitatissimis formulis: 15, *καὶ γὰρ εἰ — πῶς οὐ προσήκει*; 25, *ἐπειδὴ δὲ — πῶς γὰρ οὐ*; 38, *τὸν δὲ — τοῦτον οὐκ οἴεσθε*; — *ἢ τὸν — τοῦτον πῶς εἰκὸς* —; 23, *πῶς γὰρ οὐ παρὰ τοὺς νόμους*; 50, *ὥστε πῶς*; 51, *καὶ γὰρ ἐκεῖνο πῶς οὐ δεινόν ἐστι — πῶς οὐκ ἢ* —; 52, *πῶς οὐκ ἄτοπον καὶ δεινόν* —; 54, *πῶς ἂν εἰδείη* —; 58, *πῶς οὐ προπετείαις* —; 63, *ἐπεὶ πῶς οὐκ* —; 27, *τί σὺ ἐλαττοῖ* —; 29, *τί γὰρ δεῖ ποιεῖν*; 34, *τί τῶν νόμων ὄφελος* —; 55, *διὰ τί ποτε Λεώστρατος* —; 33, *κατὰ ποῖον νόμον* —; 54, *εἶθ' ὑμεῖς — πιστεύσετε* —; Maiore arte variare videtur in hoc genere Demosthenes, atque vividior fortiorque est, cum interrogationes etiam accumulet (cf. III, 22, VIII, 74, XXXVI, 53—55, XXXI, 9, al. et magistri eius Isaei verba VIII, 28).

Venio ad subiectionem sive *ὑποφοράν*, cuius Hermogenes (de inv. 3, 110) quattuor partes esse contendit, protasin, qua dicatur, adversarium aliquid subicere velle, *ὑποφοράν* quae proprie vocetur, qua subiectio ipsa inducatur, tum *ἀντιπρό-* De subiectione sive ὑποφορᾷ.

1) cf. quae Siggius exposuit p. 421.

τασιν, qua orator promittat se refutaturum esse, quae refutatio quarta denique parte, quae λύσις proprie dicebatur, exprimitur. Nec tamen omnes partes invenies nisi ubi tranquillo animo orator rem explicat (XX, 18, 98, 105, 120, al.). Si qua acerbitate aut indignatione commovetur, vividiorem reddit ὑποφοράν aut interrogationis forma adhibita, aut cum protasin et antiprotasin omnino omittat, quandoquidem mutata voce vividioreque pronuntiatione reliquarum ὑποφορᾶς partium, quae sunt ὑποφορά ipsa et λύσις, hae facillime compensari possunt [1]). Atque protasis, si quidem adhibetur a summo oratore, plerumque exprimitur verbis (ἴσως) εἴποι (φήσαι, ἔροιτο) τις ἄν, rarius immutato ordine ἄν τις εἴποι, τις ἂν φήσειεν, τις ἂν εἴποι; quae verba si placidius fluit oratio ante ὑποφορὰν ipsam, si quo affectu commotus est orator, post eam collocata esse solent. Subiectio ipsa varias formas habere potest, plerumque tamen incipit a verbo ἀλλά, cui intendendi atque confirmandi causa additur νὴ Δία [2]), rarius dicit Demosthenes νὴ Δί' ἀλλὰ (XVIII, 117, XIX, 272, nam reliqua exempla, quae a Webero afferuntur (Aristocr. p. 243) e spuriis orationibus desumpta sunt: c. Boeot. de nom. 32, contra Zenoth. 28). In Leocharea ὑποφορά quater adhibita est §. 33, κατὰ ποῖον νόμον φανεῖται — τοὺς ἐγγυτάτω γένους ἡμᾶς ἐξαγαγὼν ἐκ τῆς οὐσίας; ὅτι νὴ Δία πατὴρ ἦν τοῦ τετελευτηκότος. ἀπεληλυθώς γ' εἰς τὸν π. οἶκον· 50, ὥστε πῶς ἔτι σοι κύρια ταῦτ' ἂν εἴη κατὰ τὸν θεσμόν; ὅτι νὴ Δί' ἐγγέγραπται Ἀρχιάδῃ υἱός. ὑπό γε τουτωνὶ πρῴην βιασαμένων, ἤδη —, 55, εἶθ' ὑμεῖς τῷ τοῦτο τετολμηκότι πιστεύσετε ὡς ἀληθῆ λέγοντι; νὴ Δί' ἀλλ' ἀκηκοὼς τοῦ αὐτοῦ πατρὸς διαμεμαρτύρηκεν. ὁ δέ γε νόμος — ibid. διὰ τί ποτε Λεώστρατος οὑτοσὶ οὐχ αὑτὸν, ἀλλὰ τοῦτον ἐπεγράψατο τῇ διαμαρτυρίᾳ; τὰ γὰρ πρεσβύτερα τῶν πραγμάτων τὸν πρεσβύτερον ἔδει διαμαρτυρεῖν. ὅτι νὴ Δί', ἂν εἴποι, τοῦτον γὰρ εἰσπεποίηκα υἱὸν τῷ Ἀρχιάδῃ. οὐκοῦν σὲ τὸν —. Protasin igitur ἂν εἴποι semel post νὴ Δία adhibitam habemus in altero exemplo §. 55, quo uno loco etiam subiectio ipsa non sicut in ceteris inter-

1) cf. Rehd. ind. p. 186. Volkmann, Rhetor. p. 211.
2) exempla vide Rehd. ind. p. 186.

rogativam sententiam excipit. Sed tamen interrogatio, ad quam spectat ὑποφορά (διὰ τί ποτε —) antea exhibetur. Praeterea nescio an non recte omissa sit a Dindorfio particula γὰρ post τοῦτον posita, quae quantum scio omnibus codicibus traditur. Videbatur enim docto viro sine dubio γὰρ non satis aptum esse, cum ὅτι antecederet, sed primum non videtur necesse esse nos, cum ὅτι legamus, de causa cogitare, quoniam hac particula adversarii sententia induci potuit. Praeterea, si tamen γὰρ quadrare non videatur, refero §§. 16 et 21, ubi eadem particula offendimur. Proprium enim ac peculiare scriptoris hoc dicendi genus puto. Quod autem §§. 33 et 50 subiectiones a verbo ὅτι incipiuntur minus mihi placet, cum Demostheni in deliciis sit ἀλλά, quod semel tantum Leochareae scriptor adhibuit (in priore exemplo §. 55). Praeterea anthypophora in tribus prioribus exemplis semper a voce γέ incipitur, in quarto ab οὐκοῦν, quamquam hic quoque Demosthenes plerumque ἀλλά posuit. cf. XXXI, 10, ἀλλὰ νὴ Δί' ἴσως οὐχὶ πάντ' αὐτῷ τοιαῦτα πέπρακται, οὐδὲ πανταχόθεν δῆλός ἐστι τεχνάζων. ἀλλὰ καὶ τιμώμενος —. XXXVI, 39, ἀλλὰ νὴ Δία ταῦθ' ἡ πόλις εἴληφε, — ἀλλ' ἃ μὲν ἐκ κοινῶν ἐλειτούργεις — σὺ καὶ ὁ ἀδελφὸς ἀνηλώσατε. LIV, 34, ἀλλὰ νὴ Δία οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι. ἀλλ' ἴσασιν ὑμῶν, ὡς ἐγὼ νομίζω, πολλοί —. XXIV, 125—127, 202; XXI, 88 seq. 98; [XXXIII], 25, sexcentis aliis locis [1]). Accedit quod in hac una oratione obtestandi verba νὴ Δία quater usurpata sunt, cum Demosthenes in privatis orationibus rarissime haec proferret. Sunt enim mihi in promptu haec tantum ὑποφορᾶς exempla, quibus omnibus νὴ Δία orator addidit: c. Onet. II, 10, pro Phormione 39, contr. Cononem 34. Videtur igitur Leochareae scriptor hoc genere superare egregium oratorem, qui in prioribus orationibus contra tutores habitis semel tantum (Onet. II, 10) talia adhibuit.

Denique mirum videtur, quod in hac oratione nullum locum habent ceterae obtestationes. Nam Demosthenes talia non solum in ὑποφορᾶς formula adhibet, sed ubicunque ali- De obtestationibus.

1) cf. Rehdantz. ind. p. 186.

quid pro certo confirmare studet, nec usurpat solum *μὰ Δία* aut *νὴ Δία* sed etiam alia. Sunt enim obtestationes in privatis orationibus non addita *ὑποφορᾷ* hae: *νὴ Δία* pro Phorm. 55, *μὰ τὸν Δία* c. Eub. 42, *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί* pro Phorm., *μὰ τὸν Δία καὶ θεούς* ib. 53, *νὴ τὸν Δία καὶ θεοὺς ἅπαντας* ib. 61, *μὰ τοὺς θεούς* contra Con. 26, 36; *πρὸς Διὸς καὶ θεῶν* c. Eubul. 50 et 59. Inveniuntur igitur in summa duodecim obtestationes apud illustrem oratorem; quinquies invocatur Iupiter, bis appellantur omnes dei, quinquies Iupiter una cum omnibus deis, novies, id est longe saepissime deest *ὑποφορά*. Quid igitur? quantum distet haec oratio a consuetudine Demosthenis non cognoscitur [1]).

Sed haec hactenus. Puto iam ex iis, quae adhuc de arte oratoris disputavi, perspicuum esse, Leochaream orationem, etsi hic illic propius accedat ad artem adolescentis Demosthenis [2]), tamen multis de causis et a prioribus et a posteris orationibus eius longius distare, quam ut inde quod ultima lima deest explicari possit. Differt enim ab iis eximio stu-

1) Assentiendum etiam mihi videtur Blassio, cui (p. 510) orator haud raro argute atque putide loqui videtur. Cuius sententiae exempla affert ann. 5: §. 4, ὁ γὰρ πατὴρ οὗτος — ἅμα τῆς πενίας — καὶ τοῦ ἰδιώτης εἶναι φανερὰς ἔχων τὰς μαρτυρίας ἀγωνίζεται· διατελεῖ γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλὰ καὶ ἀσχολίας τῆς ἐπὶ τὸ πραγματεύεσθαι· ἀνάγκη γὰρ ἡμερεύειν ἐν ἀγορᾷ τὸν τοιοῦτον, §. 2, προπετῶς (29. Neaer. 33.); 3, καταστασιασθέντας ὑπὸ παρατάξεως ἀδίκου, ib. ταῖς ἀληθείαις, τῶν νόμων τυγχάνειν, (28. τῇ παρασκευῇ καὶ τοῖς ἀναλώμασιν ἰσχυριζόμενοι (cf. ἐνισχυρίζεσθαι 8, 16), 23, ἐνεργαζόμενοι καὶ ἐμπαιδοτροφούμενοι τῇ οὐσίᾳ, 31, ὁ τοῦ πράγματος λόγος καὶ τὸ ἁπλοῦν δίκαιον, 38. ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενον (cf. 28, 35, 40.), 59, (ἐπὶ) τὸ τῶν διαμαρτυρούντων μέρος, ib. τὸ τῶν διαμαρτυριῶν γένος. Rhetoriscorum in modum verborum collocatio immutata est: §. 9, οὐ πολλῷ χρόνῳ γαμεῖ ὕστερον, 10, ἀγάμῳ κτέ., 15, δήπου, 28, ἡμᾶς, 32, καὶ τὸ μὲν —, 36, κωλυθεὶς δὲ κτέ., 49, init. 51, πῶς οὐχ ἢ —, 63, ὁρᾶτε γὰρ —. Haec omnia etsi ipse sparsim attigi, tamen hoc loco subiunxi, quoniam iis iudicium confirmatur quod dixi multum intercedere inter artem huius scriptoris et Demosthenem.

2) Blassius ib.: Ungewandt ist der Ausdruck nicht durchaus, sogar ziemlich rednerisch, und dasselbe gilt auch vom Satzbau, wenn man ihn mit dem Apollodors vergleicht.

dio antithesis adhibendae, differt quod exhibet nec polysyndeta nec asyndeta, differt denique compositione et numero subiectionum et obtestationum.

Qua numerorum moderatione orationis cursus astrictus sit.

Nunc priusquam transeam ad naturale scribendi genus paucis explicandum videtur, qua numerorum moderatione secundum rhetorum praecepta orationis cursus astrictus sit. Atqui ostendit iam Siggius certo iudicio de hac re non esse locum, cum Demosthenes, qua erat ingenii facultate, non tam anxie tamque religiose leges illas observaret, ut non saepe exempli causa ante trochaeum in fine enuntiati spondeum aut trochaeum aut iambum poneret. Atque etiam Leochareae scriptor has ineptias evitavit. Itaque nihil reliquum est, nisi ut in universum de cursu orationis iudicemus. Videtur autem oratio hac re non multo superari orationibus vere Demosthenicis. Desunt enim sententiae laceratae atque incisae quales in Apollodori orationibus inveniuntur, raro plus quam duae breves syllabae in fine sententiae conglobatae sunt, nunquam participia tot accumulantur, quot in Apollodori orationibus, sed brevibus sententiis utitur orator, brevioribus plerumque quam ipse Demosthenes, desunt enim etiam longiores illi ambitus, quales egregius orator saepe componebat, quosque lucernam olere adversarii dicebant.

V.

De naturali scribendi genere et de verborum supellectile.

Iamque ut dicamus de naturali scribendi genere et de verborum supellectile oratoris, quae quidem ex hac oratione cognoscatur, proficiscendum mihi videtur ab iis verbis quae ab illustri oratore aut omnino non aut rarius usurpabantur. Qua in re tamen tenendum est, talia verba si rariora sunt, per se haud magni esse momenti; si frequentiora sunt, tum demum aliquid probare possunt.

De vocibus singularibus.

Non multum igitur refert, quod in hac oratione duo habemus verba, quibus nunquam usus est Demosthenes. Dico

enim ψυχαγωγούμενοι §. 63, quod verbum in genuinis orationibus nusquam, sed in sola spuria c. Neaeram §. 55, et in prooem. 32 legitur, apud alios scriptores frequentius est. cf. praeter eos locos, quos lexica afferunt, Isocr. II, 49, IX, 10. Lycurg. 33. Aesch. d. f. l. 4.

Deinde ἐμπαιδοτροφούμενοι §. 23, de quo verbo nullum locum ne lexica quidem exhibent. Vulgata enim lectio ἐμπεδοτροφούμενοι sic correcta est auctore codice Aug. primo Bavarico Lutetiano.

Tum adverbium προπετῶς, quod legitur §§. 2, 29, 59, nisi in Apollodori contra Neaeram oratione (33) in Demosthenicis obviam factum mihi non est [1]). Apud alios tamen eiusdem aetatis scriptores saepe invenitur, ut Isocr. VI, 52, XII, 272, Xenoph. Cyrop. I, 38, Plato, Phil. p. 45 A, alibi. Substantivum tamen quod est προπέτεια et adiectivum προπετής etiam a Demosthene usurpantur (subst. XIX, 251. XXI, 98. XXII, 63, al. adi. LIV, 42).

Tum bis legimus in Leocharea verbum ἐπιλογίζεσθαι: §. 34 οὐκ ἐπιλογισάμενος οὔθ' ὅτι ἐπανεληλύθει — §. 54 οὐκ ἐπιλογισάμενος ὅτι ἐπανεληλυθότες ἦσαν, utroque loco de eadem re dictum. Nusquam autem si accurate animum attendi egregius orator notionem secum considerandi atque reputandi hoc verbo exprimit, nec lexica ullum afferunt locum. Usurpat enim et ἐνθυμεῖσθαι et simplex λογίζεσθαι, quod idem in hac oratione §. 4 reperitur. (cf. I, 12, 21. IX, 20, 43, 51. XX, 8, 87, 163. XXVIII, 24, al.)

Tum alienum est ab usu Demosthenico verbum παράταξις §. 3 pro παρασκευαῖς dictum. Significat enim hoc substantivum aciem sive proelium (cf. Dem. IX, 49 οὐδὲν δ' ἐκ παρατάξεως οὐδὲ μάχης γενόμενον). Tamen ne opinemur hoc translato sensu vocem tunc non fuisse in usu testis est Aeschines III, 1 τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε, ὦ Ἀ. καὶ τὴν παράταξιν.

In eadem denique paragrapho habemus: ταῖς ἀληθείαις πιστεύοντες, de quo loco Reiskius dicit ind. p. 26 pluralem

---

1) Isaeus quoque si recte memini evitat adverbium προπετῶς.

numerum verbi *ἀληθείας* maxime in deliciis esse Demostheni. Sed tamen nec mihi contigit, ut ullum idoneum exemplum investigarem, nec viro docto ipsi, nam ex sex illis, quae affert, quinque e spuriis orationibus desumpta sunt (1041, 9; 1081, 13; 1151, 6; 1154, 10; 1201, 8) et sexto loco 875, 7 a recentioribus editoribus auctore codice Σ pluralis in singularem numerum mutatus est.

De locutionibus nonnullis.

Nec minus propriae sunt huius scriptoris locutiones nonnullae. Referam huc primum §. 5 *προϊόντος τοῦ λόγου*, quod etsi nequaquam vituperandum est, tamen nec apud Isaeum nec apud Demosthenem invenitur. Non enim obviam fit haec formula nisi in spuriis oratt. XXXIII, 3 *προϊόντος τοῦ λόγου καταφανὴς ὑμῖν ἔσται* et LIX, 20 *προϊόντος τοῦ λόγου, ἂν — δηλώσω ὑμῖν.* Frequentior est apud Aeschinem (I, 1, 42, 82, al.), Antiphontem (V, 10), Platonem (Phaed. p. 238 D) alios. Tamen quod simile est: *προϊόντος τοῦ χρόνου* nec Demosthenes nec Isaeus repudiat.

Deinde aliena est ab usu Demosthenico formula *ἐπεὶ κἀκεῖνο* §. 55, quibus verbis ad aliud argumentum orator transit. Etenim *ἐκεῖνο* pronomen talibus in locis nunquam omisso verbo legitur. cf. II, 24 *ἀλλ' ἐκεῖνο θαυμάζω*, III, 14 *οὐ μὴν οὐδ' ἐκεῖνό γε ὑμᾶς ἀγνοεῖν δεῖ*, VIII, 16 *καὶ μὴν οὐδ' ἐκεῖνό γε δῆλόν ἐστιν ἡμῖν*, IX, 30 *καὶ μὴν κἀκεῖνό γε ἴστε*, 68 *καὶ μὴν κἀκεῖνό γε αἰσχρόν*, XV, 17 *ὁρᾶτε δὲ κἀκεῖνο*, XIX, 148 *ἔτι τοίνυν κἀκεῖνο σκέψασθε*, 221 *ἔτι τοίνυν κἀκεῖνον σκοπεῖτε*, XX, 8, 57, 62, 65, 81, 118, 139, 148; XXI, 58, 65, 173; XXII, 12, 17, 25, 43; XXIII, 92, 95, 107, 116, 123, 135, 187, 196; XXIV, 60, 75, 173, 210; XXX, 12, [XXXIV] 17; XXXVI, 57; [XXXVIII] 21; [XXXIX] 35; [XL] 29; [XLIII] 60, 72; [LI] 12; LIV, 27; LVII, 35, 57, al. Etiam apud alios oratores idem me reperisse memini; cf. Is. VII, 45, al. Si Demosthenes verbum omittit, *τοῦτο* adhibere solet. cf. IV, 12 *καίτοι καὶ τοῦτο* (cf. quae Sauppius ad hunc locum exposuit et Fritschii quaest. Luc. p. 32 seq.); XVIII, 123 *καίτοι καὶ τοῦτο, ὦ ἄ. Ἀ.*; XXI, 166 *καὶ γὰρ αὖ τοῦτο*; XIX, 314 *καὶ γὰρ τοῦτο*; [LVI] 46 *καὶ γὰρ τοῦτο*, idem XXVI, 17, sed tamen etiam huic pronomini verbum *σκοπεῖτε, ἐνθυμεῖσθε,*

al. addit. cf. XX, 145 *καίτοι καὶ τοῦτ' ἀκούω σε λέγειν;* XVIII, 232; [XLV] 23, 45, 76, al.

Nec minus abhorrent cum ab aliis oratoribus tum maxime a Demosthene verba §. 8 *ἂν τούτῳ τῷ μέρει τοῦ ἀγῶνος σαφῶς παρακολουθήσετε.* Nam non apte coniungitur *σαφῶς* cum verbo *παρακολουθεῖν*, quod per *μεταφοράν* quandam notioni consequendi mente aliquid atque intellegendi proximum est. Atque ceteris quidem locis rectius usurpat orator adverbium *σαφῶς* (6, 12, 30), cum *παρακολουθεῖν* autem nusquam invenitur collocatum in orationibus Demosthenicis, quin etiam dubito, num ullum apud elegantiores scriptores locum habeat. Collegi enim exempla, quibus adverbii *σαφῶς* usus demonstratur, haec:

σαφῶς εἰδέναι: Dem. III, 17; VIII, 43; XV, 33; XVIII, 156; XIX, 57, 320; XXIII, 126; XXIV, 195; XXVII, 1; XXVIII, 22; XXX, 5, 26; e spuriis oratt. X, 15; XII, 9; XVII, 19; XXIX, 9; XLI, 29; LVI, 1, 30. Isaeus IV, 21, 23; VII, 34; VIII, 4; X, 8; al.

σαφῶς ἐπίστασθαι: Dem. XVIII, 174; XXX, 35; Isaeus VII, 34; X, 14;

σ. ὁρᾶν: Dem. XVIII, 49; XXIII, 8;

σ. γιγνώσκειν: Dem. XXIV, 146; [XLIII] 62; Is. III, 17;

σ. μανθάνειν: Is. III, 67; X, 3;

σ. ἐπιδεικνύναι: D. XVIII, 142; XXIV, 14; XXVII, 47, 48; [XXIX] 10, 14, 29, 46; [XXXVIII] 22; XXXVII, 59; Is. VIII, 28;

σ. ἀποδεικνύναι: D. [XLI] 25, 30;

σ. δεικνύναι: D. XIX, 8; XXI, 67; XXIII, 90;

σ. λέγειν: XVIII, 121; XXIII, 43; XXIII, 53; *διδόντος γὰρ τοῦ νόμου σαφῶς οὑτωσὶ καὶ λέγοντος;*

σ. εἰπεῖν: XIX, 206; XXIII, 86;

σ. διδάσκειν: [XLIII] 2; LV, 8;

σ. δηλοῦν καὶ διορίζεσθαι: XVIII, 40;

σ. διαιρεῖν: XX, 28; [XXXVII] 35;

σ. διορίζειν: XLII, 1;

σ. ἐξελέγχειν: XIX, 101; [XXIX] 39, 41, 55; Is. III, 5, 54;

σ. κελεύειν: XX, 99;
σ. προγράψαι: XXIV, 81;
σ. μαρτυρεῖν: XLIII, 47;
σ. δῆλόν ἐστι: VIII, 26;
σ. πυνθάνεσθαι: [LIX] 51.

Sed quid plura? Puto enim hinc esse perspicuum, adverbium σαφῶς ad verba sentiendi et declarandi positum, duas diversas habere significationes. Etenim si cum verbis dicendi σαφῶς coniungimus efficere volumus, ut aliis, nempe qui audiant, res perspicua fiat, si autem dicimus: σαφῶς μανθάνω, σ. γιγνώσκω, sim. de nobis ipsis cogitamus, quibus res dilucida fiat. Exstat praeterea, si recte video, etiam tertia significatio adverbii σαφῶς, quae non ad rem, sed ad actionem ipsam pertinet, quae quidem ab aliis qui adsunt aut oculis aut auribus sentiatur. Quam significationem semper adhibemus cum dicimus exempli causa: σαφῶς οἰκοδομεῖ, σ. σώζει, sim. id est, si ea verba, in quibus nec dicendi nec sentiendi notio inest, cum adverbio σαφῶς coniungimus. Tamen haec significatio, quam nativam quasi puto, etiam cum verbis dicendi, velut δεικνύναι, ἐπιδεικνύναι, εἰπεῖν, sim. coniungi potest. Nam σαφῶς δείκνυμι significari potest non solum: efficio ut res quam demonstro perspicua fiat, sed etiam: omnes qui adsunt vident me labra movere, me digitis aliquid demonstrare, me omnes eos motus dare, qui ad ostendendum, dicendum, docendum necessarii sint. Sed nunquam σαφῶς οἶδα, γιγνώσκω, sim. eodem sensu dici potest. Orator igitur cum dixit σαφῶς παρακολουθεῖν in eo nisi fallor peccavit, quod duo verba, quae, qua erant natura atque indole, ad sensus potissimum pertinebant, in mentis atque rationis provinciam transtulit. Nam verbi παρακολουθεῖν e natura propria est significatio sequendi pedibus motis, atque σαφῶς παρακολουθεῖν nihil esse potuit nisi ita sequi, ut quicunque aderant oculis suis cernerent. Vero igitur oratori, si quidem verbum παρακολουθεῖν translato sensu adhibere voluit, addendum erat id adverbium, quod pro natura sua atque indole ad mentem atque rationem pertineret. Quare Demosthenes fortasse dixisset ἀκριβῶς π. (cf. XIX, 257; [XLVIII] 40, et

consimiles locos XXX, 27; Is. III, 50, 59; VIII, 4, 19, 44); aut εὐμαθῶς π. sicut Aeschines I, 116: προσέχειν τὸν νοῦν καὶ παρακολουθεῖν εὐμαθῶς.

Aliis vocibus usus quidem est Demosthenes sed rarius quam Leochareae scriptor. Referendum est huc verbum ἰσχυρίζεσθαι, cui subicitur notio confidendi, perseverandi, totoque animo nitendi (cf. Frohberg. ad Lys. XIII, 85). Legimus enim hoc in Leocharea §. 3 τῇ παρασκευῇ καὶ τοῖς ἀναλώμασιν ἰσχυριζόμενοι, 8 κατὰ γένος ἐγγύτατα ὄντες οὐ μόνον τούτῳ ἐνισχυριζόμεθα, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, 11 τὸ μὲν ὅλον ἰσχυριζόμενοι ποιήσει, 15 εἰ τῇ ποιήσει ἰσχυρίζονται, 16 οὗτοι τοῖς νόμοις οὐκ ἐνισχυριοῦνται. E Demosthenicis autem orationibus haec sola in promptu sunt: VIII, 2; XIX, 332; ex orationibus aut aperte spuriis aut de quibus magnopere dubitant docti viri: XXXIII, 27; XL, 40, 41; LVI, 31. Apud alios scriptores hoc verbum frequentius est (cf. Thucyd. III, 44; IV, 23; V, 26; VI, 55; Xenoph. Cyr. III, 119; Plat. Gorg. p. 439 C; Antiph. I, 76; Isocr. XVII, 24; Aesch. III, 56; Isaeus IV, 26; I, 3, 18, 49, al.).

Deinde verbo διοικεῖσθαι, quod plerumque nihil significat nisi „regere, gubernari" Leochareae scriptor semper utitur de malis artibus, quibus aliquid conficiatur: §. 28 καὶ ταῦτα πάντα ῥαδίως διοικεῖται; 35 καὶ τοῦτο διῳκεῖτο; 38 ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενον; 40 ὃ δὲ μετὰ ταῦτα διοικεῖται. Quo sensu rarius est hoc verbum apud Demosthenem (cf. VIII, 13; XVIII, 178), is enim διαπράττεσθαι dicere solet (cf. praeter al. LVII, 9).

De syntaxi verborum.

Deinceps de syntaxi verborum pauca addere mihi liceat. Nam cum verbis quae sunt ἀποστερεῖν et ἀφαιρεῖσθαι, si quidem adduntur et persona quae privatur et res quae detrahitur, Demosthenes consociare solet accusativum personae et genetivum aut accusativum rei (ἀποστερεῖν, ἀφαιρεῖσθαί τινά τινος, τινά τι), passivae formae verbi ἀποστερεῖσθαι plerumque addit genetivum rei. Exempla enim sunt:

ἀποστερεῖν τινά τι: XXIV, 117; XXVIII, 16; XXVII, 6; XXXVI, 36 alibi.

ἀποστερεῖν τινά τινος: XVI, 19; XVIII, 207; XXI, 142; XXIV, 1, 9; LVII, 57; [X] 42; [XIII] 22 al.

ἀποστερεῖσθαί τινος: XVIII, 5; XXVII, 67; XXVIII, 17, 18, 20; XXI, 88, 95, 106; XXIV, 164; XXX, 15 al.

ἀφαιρεῖσθαί τινά τι: XXIV, 182; XXI, 207; XX, 39, 40; XVIII, 21; in passivo *ἀφαιρεῖσθαί τι* XXI, 5.

Non autem idem est usus in Leocharea oratione; etenim ibi nunquam legimus duos accusandi casus cum his verbis collocatos, sed cum *ἀποστερεῖν* coniunguntur accusativus personae et genetivus rei (29, *ἀποστερῆσαι ἡμᾶς τῆς κληρονομίας*; 51, *ἀποστεροῦσιν ἡμᾶς τῆς κληρονομίας*; 25, *ἀποστερηθῆναι τούτων*; 58, *λόγου μὴ ἀποστερηθῆναι*). Praeterea ibi habemus rariorem constructionem *ἀφαιρεῖσθαι*, *ἀποστερεῖν τινός τι* (2, *ἀφαιρούμενος ἡμῶν τὴν κληρονομίαν*; 62, *οὐδεμίαν οὐσίαν Λεωστράτου ἀφελόμενοι*; 23, *τὴν κληρονομίαν ἡμῶν ἀποστερήσειν οἴονται*). Sed tamen concedo pro certo nihil ex his colligi posse, cum casu in hac exemplorum paucitate amborum accusandi casuum consociatio omissa esse possit, nec altera constructio *ἀφαιρεῖσθαι τινός τι* omnino desit in Demosthenicis orationibus, cf. XXI, 172; XXVII, 65; [XXXVIII] 28. Apud alios oratores frequentior est: Lys. XII, 40; XIV, 31; XXXI, 19; Aeschin. III, 85, 140, 229; Is. II, 47; Xenoph. Memorab. I, 5, 3; Thucyd. III, 58; Plat. rep. V, 470 D. cf. Frohberg. ad Lys. XXIV, 13 et addit. p. 213.

Deinde verbum quod est *ἀμφισβητεῖν*, si quidem significet petere aliquid sive contendere de aliqua re, cum solo genetivo coniunctum esse solere recte dicit Frohbergerus in ed. Lys. fascic. III p. 214 (vid. Bekk. anecd. p. 120 v. 12). Erravisse igitur de oratoribus saltem mihi videtur Kuehnerus (Gr. II p. 330), qui dicit frequentiorem esse praepositionis *περὶ* usum. Nam cum genetivo consociatum hoc verbum non solum omnibus Lysianis locis exhibetur, sed etiam plerisque Isaei et aliorum (cf. Is. IV, 3, 11 bis, 28, 29; V, 7, 14; VIII, 1, 25, 37; X, 1; XI, 5, 7; [Dem.] XLIII, 3, 20, 49, 56; LVII, 27; XII, 23; [XXXII] 9; [XXXIX] 19; [LIII] 27, 28; [VII] 13. Quam normam secutus recte dicit Leochareae orationis scriptor: §. 7 *ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν*

ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία (cf. Is. VII, 1, *ἀμφισβητεῖσθαι τὰς ποιήσεις*); 27, *οὐδεὶς ἠμφισβήτει τοῦ κλήρου*; 35, *ἀμφισβητεῖν τῶν ἀλλοτρίων*; 38, *τοῦ κλήρου — ἀμφισβητεῖν*; 42, *τῆς κληρονομίας ἀμφισβητεῖν*, nam quod nusquam additus est dativus personae, cum qua contentio sit, nullius puto momenti. Dignior tamen est memoratu §. 53. praepositio *περὶ* (*τὸ περὶ τοῦ γένους μὴ τὸν αὐτὸν ἀμφισβητεῖν*), cum haec constructio, quamquam hic illic invenitur, tamen rara admodum sit. Ex Isaeo desumpta haec sola exempla in promptu sunt: I, 5; III, 61; IV, 30; IX, 35, quamquam apud alios oratores ut apud Isocratem nisi fallor *περὶ* frequentius est (cf. Schneid. Isocr. IV, 188; VI, 74; Pseud. Dem. XXXVIII, 8).

De remisso genere dicendi.

Tum vituperandum est remissum illud dicendi genus, quod hic illic oratione hac continetur. Invertitur enim oratio §. 68 — quam paragraphum postea additam esse demonstravi — a relativa in demonstrativam constructionem (*ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο — ἐξεῖναι αὐτοῖς*). Sed tamen hoc loco non ita offendor, ut cum Lortzingio [1]) hoc graviori vitio dem oratori. Sunt enim et haec verba et quae Lortzingius affert p. 71 praeter enuntiatum D. c. Euerg. 40 decerpta de legibus quibusdam Solonis, quibus ea, quae maxime in considerationem veniunt, demonstrativa constructione clarius nobis ante oculos quasi ponuntur [2]). Tamen non minus est tenendum, similia exempla in genuinis orationibus rarissime inveniri; (cf. VIII, 2, *ὅσα — ἐπισχοῦσι περὶ αὐτῶν σκοπεῖν* XXIII, 126, 128) in spuriis frequentiora sunt: VII, 45, in lege XXI, 47; LIX, 85, 92; LXI, 20. Praeterea ex aliis scriptoribus sunt mihi in promptu: Antiph. VI, 10, Andoc. I, 25; II, 24; Lysias VI, 45; XIV, 11, 37; XV, 11; XXVIII, 13; Isaeus V, 15; Isocr. I, 33; Aeschin. III, 249; Hyperides or. fun. sub fin.; Thucyd. III, 13, 5; IV, 92, 7; IV, 128, 1; Xenoph. anab. I, 9, 29; II, 5, 27; VI, 4, 9; Hell. I, 7, 35; IV, 5, 5. De Platone et Homero cf. Stalbaum ad Plat. Hipp. I, 289, C. et Naegelsb. ad Hom. *Γ*, 301.

---

1) in libello: de orationibus quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur, Berol. 1863.

2) cf. Web. ed. Aristocrat. p. 390 et 355.

Sed minime licet de lege cogitare §. 26: *τοῦ μὲν γὰρ ὁ πατὴρ ἐπανεληλυθὼς εἰς τοὺς Ἐλευσινίους οὐκέτι τὴν κατὰ τὸν νόμον οἰκειότητα ἔλειπεν αὐτῷ, ἡμεῖς δὲ* —, ubi ne verba quidem *τοῦ μὲν — ἡμεῖς* concinne opposita sunt. Fit enim sententia pronomine *αὐτῷ* apposito neque magis perspicua, neque efficacior [1]), sed molestior. Sententia si esset enthymema particulis *εἰ μὲν — δὲ* expressum atque pendens a verbis *θαυμάζειν, αἰσχρὸν δεινόν, ὑπερφυές* sim., facilius hoc esset perferendum [2]). Egregio oratori hoc loco suffecisset *τῷ γὰρ ὁ πατὴρ — οὐκέτι τὴν κατὰ τὸν νόμον οἰκειότητα ἔλειπεν.* Simile porro est exemplum §. 55: *ζῶντος τοῦ πατρὸς τὰ ὑπ' ἐκείνου πραχθέντα*, ubi participium coniunctum quod dicitur exspectamus.

Iamque ne *ἀνακόλουθα* quidem absunt, a quibus tamen privatas Demosthenis orationes expurgatas esse Siggius docet (p. 425). Nam participium *ὄντες* §. 61. contra usum bonorum oratorum excipitur verbis *τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων.* Praeterea haeserunt iam omnes fere interpretes in §. 20: *χρόνῳ δὲ ὕστερον οὐ πολλῷ — τοῖς γὰρ μετὰ ταῦτα ἤδη σφόδρα τὸν νοῦν προσέχετε, ὦ ἄ. δ., ὁ γὰρ Ἀρχιάδης.* — Etenim ut prius illud *γὰρ* excusemus, cum in initio positum sit sententiae inter membra alterius interiectae [3]), tamen alterum minime eleganter redundat. Orator enim, ut recte vidit H. Schaeferus, verba *ὁ Λεωκράτης* non, quo oportebat, ad *χρόνῳ δὲ ὕστερον οὐ πολλῷ* retulit, sed ad interserta quae sunt *τοῖς γὰρ — δικασταί*; qua ratione observata in hunc fere modum reddenda sunt: „Kurze Zeit aber darauf — darauf aber, meine Herren Richter, müsst ihr besonders achten, denn Archiades —. Si hoc dictum esset inter homines in caupona de nulla re certa nullo consilio adhibito sermocinantes, non esset reprehendendum; in iudicio vero apud Athenienses, qui vel in corporis habitum intendebant, minime hoc ferri potuit.

1) cf. Kuehner. Gramm. graec. ² II, p. 568.

2) cf. Rehd. ind. p. 176 s. v. Parataxis.

3) Cuiusmodi exempla affert Kuehn. Gramm. ² II, 854, quae tamen non ex oratoribus desumpta sunt.

Praeterea vocula *γὰρ* alio quoque loco inepte posita est. Nam §. 16. orator postquam suum adversariorumque genera explicavit minime bene pergere mihi videtur: *εἰ μὲν γὰρ ἐφ' ἡμῖν ἦν.* — Etenim etiamsi hoc loco orator rationem reddit, qua de causa orare pergat [1]), tamen durius videtur quam quod apud bonos oratores invenias. Equidem si tamen nihil ante verba *εἰ μὲν* desit, exspectem cum Bekkero particulam *οὖν*. Sed tota haec paragraphus ultimam limam non experta est [2]).

Quae praepositiones desiderentur.

Tum desiderantur duobus locis praepositiones. Nam quod H. Schaeferus censet in verbis §. 61, *τῆς ποιήσεως — τῶν μὲν ἐπανεληλυθότων εἰς τὸν πατρῷον οἶκον* genetivum *τῆς ποιήσεως* ita aptum esse e sequentibus *τῶν μὲν — τοῦ δὲ*, ut *οἱ τῆς ποιήσεως* idem significet quod *οἱ εἰσποιηθέντες*, durius est quam quod usquam apud elegantiores scriptores invenias. Nec probabilius videtur, quod suspicatus est Reiskius, deesse videri participium *ἀφανισθείσης* aut aliud verbum. Ego malim praepositionem *ἐκ*, quae perfacile a librariis omitti potuit, nisi ipsi scriptori hoc tribuendum esse censeamus. Simile etiam est exemplum §. 37: *ἧκε Παναθηναίων ὄντων τῶν μεγάλων τῇ διαδόσει πρὸς τὸ θεωρικὸν*, quod recte explicat Schaeferus (ind. Dem. p. 141) *κατὰ τὸν καιρὸν τῆς διαδόσεως τοῦ θεωρικοῦ*. Ad tempus enim designandum non usurpabatur dativus casus nisi appellationum festorum dierum publicarumque actionum, quae certo spatio interiecto recurrebant. Non autem hoc satis quadrare videtur in vocem *διάδοσις*. Elegantior scriptor fortasse addidisset praepositionem, praesertim attributo nullo adiuncto [3]).

Attractio omissa.

Aliud habemus neglegentiae exemplum §. 61: *τῆς ποιήσεως, ἣν ἐκεῖνος ἐποιήσατο*, ubi attractio omissa est, qua relativi pronominis accusandi casus substantivi antecedentis casui assimilatur. Apud Demosthenem raro inveniuntur talia exem-

---

1) cf. Bäumlein, Untersuch. über die griech. Partikeln p. 85 sq.

2) cf. supra p. 44 seq.

3) nescio an etiam §. 51. ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν ταύτῃ διαμεμαρτυρημένα εἶναι ὡς ὑπὲρ υἱοῦ γόνῳ γεγονότος, τὰ δ' αὐτίκα μάλα ῥηθησόμενα ὡς ἐισποιητοῦ ante ἐισποιητοῦ omissa sit praepositio ὑπὲρ.

pla, sunt enim in promptu sola haec: VIII, 2, τῆς στρατείας, ἣν ποιεῖται; VIII, 8, ταῖς κατηγορίαις, ἃς — κατηγοροῦσι, ubi tamen nonnullis codicibus etiam αἷς exhibetur [1]. XXII, 34, περὶ τῶν νόμων, οὓς παρεγραψάμεθα (XXIII, 215 in eadem formula ὧν παρεγραψάμεθα legitur); XXIII, 158. τῆς διαβάσεως, ἣν ἐποιήσατο; XXVII, 24. περὶ τῶν κλινοποιῶν, οὓς κατέλιπε; XXVII, 68. τῶν νόμων καὶ τῶν ὅρκων, οὓς ὀμόσαντες; XXXVI, 41. τῆς ἄλλης οὐσίας, ἣν κατέλιπε. Ceteri loci, qui afferuntur a Rehdantzio (ind. p. 204) aut ex spuriis aut ex eis orationibus desumpti sunt, de quarum scriptoribus magnopere ambigunt docti viri: VII, 27; XXIX, 35, 47, 56; XXXVIII, 42; XXXIX, 10; XLII, 27; XLIII, 20; XLV, 87; XLIX, 42, 62; LVII, 20. Tamen apud alios quoque scriptores similia sunt. cf. Isaeum I, 3; VIII, 46; IX, 14; XI, 49; vid. Frohberg. Lys. fasc. II, p. 150; Krueger. ad Thucyd. I, 50 al.

Commemorandus denique est pleonasmus §. 14, ἔπειτα μετὰ ταῦτα. Est hoc quidem non adeo pleonastice dictum, ut adiecta verba μετὰ ταῦτα, cum nihil aliud significent quam quod particula ἔπειτα, prorsus abundent, sed tamen puto patere, hoc loco, ubi transitus paratur ad sequentia nihil prorsus esse causae copiosioris huius dictionis. Vix igitur similia apud Demosthenem invenies, nam oratio contra Neaeram, cuius in §. 90. eadem formula ἔπειτα μετὰ ταῦτα legitur, spuria est, quae autem similia a Demosthene exhibentur, non solum rara sunt, sed etiam arti rhetoricae inserviunt. cf. XVIII, 102, πάλιν αὖ; 137, πάλιν μετὰ ταῦτα ὕστερον; VIII, 6, πάντα τὸν χρόνον συνεχῶς; 3, τάχα τοίνυν ἂν ἴσως; XX, 142, διὰ παντὸς ἀεὶ τοῦ χρόνου; XIX, 42, παραχρῆμα τότ' εὐθύς; Pseud. D. [X] 59, ὁμοθυμαδὸν ἐκ μιᾶς γνώμης. Prooem. 1450, 6, ἀεὶ καὶ συνεχῶς; [XXIX] 15, εὐθὺς παραχρῆμα; id, [XLVIII] 40; [LII] 6 [2]. Numquam is dicit ἔπειτα μετὰ ταῦτα, sed solum ἔπειτα, εἶτα [3]. Pleonasmi exemplum.

1) cf. quae Voemelius ad hunc locum dixit.

2) cf. Rehd. ind. s. v. pleonasm.

3) de aliis scriptorib. cf. Kühn. Gr. II, 1087, Mitschell. ind. s. v. παραχρῆμα. Porsoni praef. Hecub. Eurip. LII.

Sed iis quae hactenus disputata sunt de vocibus a Demosthene aut omnino non aut rarius usurpatis et de sententiis neglegentius compositis ne ipse quidem magnam vim tribuendam esse censeo. Nam praeterquam quod non perfectam esse orationem ostendi, concedendum etiam est, Demosthenem non solum haud pauca verba adhibuisse, quorum nonnulla aut a nemine alio, aut a perpaucis oratoribus usurpabantur, sed etiam in aliis orationibus alias voces frequentius posuisse. Ita enim sentiendum est exempli causa de verbo *καταστασιάζειν*, cuius in oratione contra Eubulidem quinque vel sex, in ceteris multo pauciora exempla sunt. Nunquam igitur singula verba ad probandum satis valent, nisi constat post eam aetatem, cui adscribitur libellus, ea aut orta aut ex aliis dialectis ascita esse, qualia Alexandri Magni aetate etiam in Atticorum usum multa irrepsisse nemo est nescius. Inveniuntur autem talia etiam in iis orationibus, quae ab Apollodoro scripta esse putantur, sed in Leocharea purus et vere Atticus est sermo. Itaque ut caute in hac re versemur, etsi ne tenuis quidem dubitatio mihi movetur, quin non omnia quae attuli ad defectum ultimae limae referenda sint, etiam firmiora argumenta afferamus.

firmiora argumenta.

Atque in iis illud maxime numerandum puto, quod in hac oratione et singula verba et locutiones, quae abhorrent ab usu Demosthenico, ita repetita habemus, ut scriptor nunquam aliter dixisse videatur. Talia sane nec librariorum incuria nec eo excusari possunt, quod ultima lima deficiat. Quod in genus primum refero formulam *τὸ ἐξ ἀρχῆς*, quam cum articulo coniunctam ita adamavit scriptor, ut *τὸ ἐξ ἀρχῆς* quinquies (9, 17, 21, 26, 65.) usurparet neque unquam *τὸ* omitteret, nisi ubi alia articuli forma antecederet: (2, *τοῦ ἐξ ἀρχῆς καταλιπόντος*; 22, *τὴν ἐξ ἀρχῆς ποίησιν*; 45, *καὶ τῶν ἐξ ἀρῆς γεγενημένων*; 47, *εἰς τοὺς ἐξ ἀρχῆς ἐγγύτατα γένους ὄντας*; 54, *κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ποίησιν*; 68, *τοῖς ἐξ ἀρχῆς οἰκείοις*), in sola §. 31. articulus vocibus *τε πεπραγμένων* ab *ἐξ ἀρχῆς* separatus est. Demosthenes autem ubique fere usurpat sine articulo *ἐξ ἀρχῆς* (cf. XIX, 96; XX, 56; XXI, 12, 77,

De locutionibus aliquot.

90; XXVII, 60; XXVIII, 18; XXX, 4, 10, 16, 30; XXXI, 5; XXXVI, 3, 30, 49; LVII, 50, sexcentis aliis locis); *τὸ ἐξ ἀρχῆς* in privatis orationibus non legitur, in publicis his locis: XVIII, 322; XIX, 94, 199; XXII, 16, in spuriis XXXII, 12; XXXIV, 47; XLVIII, 33, alibi. Vides ergo, cuncta reliquarum orationum exempla ne unius quidem Leochareae numerum aequare. Summus orator rarissime articulum addidit, hic semper. Praeterea etiam *ἀπ' ἀρχῆς, τὸ ἀπ' ἀρχῆς, τὸ κατ' ἀρχὰς* a Demosthene dicitur (XIX, 315; II, 6; IX, 21, al.), quae in Leocharea desunt [1]).

Praeterea hic scriptor notionem ostendendi et argumentandi, nisi verbo *διδάσκειν* utitur, semper simplice voce *δεικνύναι* exprimit (5, 7, 15, 16 bis) nunquam composito. Attamen quicunque modicum tantum studium oratoribus tribuerit non erit nescius imprimis Demosthenem et Isaeum longe praeferre composita *ἀποδεικνύναι* et *ἐπιδεικνύναι*; quorum tam multa nobis exempla occurrunt, ut longum sit enumerare.

Tum aliena est ab usu Demosthenico sententia *τῶν νόμων τυγχάνειν*, quam iisdem verbis expressam bis legimus §. 3. (*καὶ ἀγαπῶντες, ἐάν τις ἡμᾶς ἐᾷ τῶν νόμων τυγχάνειν*) et §. 28. (*ἀλλ' ἀγαπῶσιν ἐάν τις ἡμᾶς τῶν νόμων ἐᾷ τυγχάνειν*) [2]). Summus enim orator nunquam hoc, sed semper *τῶν δικαίων τυγχάνειν* usurpat, quod ab Isaeo traditum esse videtur (cf. XXVII, 1, 2; XXVIII, 21; XXX, 3; LVII, 33; [XXXVIII, 22] et similia *δίκης τυχεῖν*, XXI, 142; *τῷ δικαίῳ πιστεύειν*, LIV, 27; *τὰ δίκαια λαμβάνειν*, XXXVI, 22; Isae. VIII, 5, qui locus ex parte ad verbum repetitur Dem. XXVII, 2);

---

1) Isaeus quoque Demosthenis magister praefert nudum ἐξ ἀρχῆς cf. I, 6; II, 2; III, 3; VII, 4, 9, 21; X, 3, 5, 8, 15; XI, 7, 12; item scriptores Macart. et prioris Stephanicae.

2) Quod docti viri νομίμων scribendum esse censuerunt probo equidem, cum facilius fieri potuerit ut media syllaba librariorum culpa excideret, quam ut adderetur. Praeterea τῶν νομίνων τυγχάνειν similius est τῶν δικαίων τυγχάνειν. cf. Mitschellii ind. p. 813, p. 560, Maetznerum ad Lycurg. p. 194, Dindorfii adnotat ad Dem. Timocr. 733, 11, Sauppii ad Lycurg. p. 134.

τυγχάνειν τῶν δικαίων etiam apud Aeschinem (I, 61) me reperisse memini. *τυγχάνειν* autem *τῶν νόμων* bis exstat apud Lycurg. Leocrat. 93, ex Demosthenicis orationibus unus tantum locus mihi est in promptu desumptus ex oratione, quae contra Aristogitonem inscribitur (XXV, 81), quae quin spuria sit nemo dubitat.

Quibus formulis scriba compelletur.

Denique formulis, quibus imperatur ut scriba leges recitet, aut testes arcessat, quamquam paucae sunt, tamen idoneum iudicandi argumentum nobis praebetur. Ostendit enim Siggius p. 431, Demosthenem in privatis orationibus ita amare imperativum verbi *λαμβάνειν*, ut eum solum duodetricies et cum imperativo verbi *ἀναγιγνώσκειν* quinquiesdecies adhibuerit. Ter etiam imperativo praesentis aut aoristi verbi *ἀναγιγνώσκειν* ita utitur, ut cum participio verbi *λαμβάνειν* coniungat. In omnibus igitur his quadraginta septem locis aoristus verbi *λαμβάνειν* locum habet. Rarius legi et *λέγε* et *ἀνάγνωθι* (XXVIII, 11, 12, 13 bis XXX, 18, XXXVI, 56 ter). Quibus equidem possum addere haec: Vetustioribus oratoribus *ἀναγιγνώσκειν* et *λαμβάνειν* in tantis erant deliciis, ut inde ab Andocidis temporibus usque ad Isaeum nunquam *λέγε* adhiberetur (Antiphon ipse testes arcessere solet). Sed inde ab Isocratis aetate, id est apud Isocratem, Lycurgum, Aeschinem, Demosthenem, Dinarchum *λέγε* ita magis magisque usu floruit, ut quo quis orator erat recentior eo saepius imperativum *λέγε* adhiberet. Demosthenes et *λέγε* et *λαβέ* usurpat. Itaque inde nullus fructus capi potest, quod orator Leochareae §. 30 dicit: *καί μοι λαβὲ τὰς μαρτυρίας ἃς λέγω.* Verba autem quae his praecedunt: *ταύτας ὑμῖν τὰς μαρτυρίας βουλόμεθ' ἀναγνῶναι*, rarissima sunt apud Demosthenem. Unum enim locum in genuinis orationibus conferendum inveni XXIV, 27: *βούλομαι δ' ὑμῖν τὸ ψήφισμ' αὐτὸ ἀναγνῶναι.* Ex spuriis orationibus item unum exemplum in promptu est: XXXVIII, 4 *βούλομαι δ' ὅμως καὶ τὸν νόμον ὑμῖν αὐτὸν ἀναγνῶναι*, ex Lysianis: XIII, 38, *βούλομαι ὑμῖν τὰ ὀνόματα — ἀναγνῶναι.* Usitatior est Demostheni infinitivus *παρασχέσθαι.* Nec magis oratores gaudent addere adverbium *δευρὶ* sive *δεῦρο.* Nam nunquam hoc dicit Demosthenes, quam-

quam *καλεῖν τοὺς μάρτυρας* saepissime usurpat. Ex ceteris oratoribus solus Aeschines addit *δευρί* III, 127: *κάλει μοι τοὺς οἰκέτας δεῦρ' ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ τὴν τῶν συμπρέσβεων ἀναγίγνωσκε μαρτυρίαν.* Attamen hoc adverbium a Leochareae scriptore toties usurpatum est, quoties *καλεῖν τοὺς μάρτυρας* dixit (14, 44). Tertia denique imperativi persona *ἀναγνώτω*, quam habemus §. 45, item ita non erat in usu oratorum, ut apud solum Aeschinem II, 46 inveniatur: *ὅτι δ' οὐδὲν ψεῦδος εἴρηκα πρὸς ὑμᾶς λαβέτω μοι τὸ ψήφισμα ὁ γραμματεὺς καὶ τὰς τῶν συμπρέσβεων μαρτυρίας ἀναγνώτω;* plerisque locis *ἀνάγνωθι* aut *ἀναγίγνωσκε* legitur. Sed vides etiam meliore iure Aeschinem *ἀναγνώτω* dicere potuisse, quam Leochareae scriptorem. Addidit enim ille subiectum *ὁ γραμματεύς*, hic omisit.

De iis locutionibus Demosthenicis, quae in Leoch. non reperiuntur.

Non possum quin paucis hoc loco afferam eas locutiones, quae quamquam usitatissimae sunt Demostheni, tamen in hac oratione prorsus non reperiuntur. Refero huc primum *οὐ μὴν ἀλλά*, cuius mihi in promptu sunt haec exempla I, 4; II, 22; IV, 38; V, 3; VIII, 8, 38, 49; [X] 28, 36; [XII] 10; XIV, 33; XV, 28, 32; XVI, 3; XIX, 135, 201, 203; XXII, 6, 37; XXIII, 111; [XXXIV] 4; XXXVII, 23; [XLI] 15, 26; [XLV] 9; LVII, 3, 46; LIV, 38, sexcentis aliis locis. Idem etiam apud alios oratores legitur; cf. Is. VIII, 5 et Isocr. I, 9, cui loco Schneiderus multa alia exempla addidit.

Deinde *σκέψασθε* et *ἴστε γὰρ δήπου τοῦτο*, quibus nihil frequentius apud oratorem inveniri recte Weberus contendit (Aristocr. p. 371) cf. II, 25; V, 20; VIII, 11, 74; XV, 17; XVIII, 130, 168, 249; XIX, 116, 216, 225, 247, 264; XX, 31, 43, 155; XXI, 32, 56, 60, 99, 132, 202, 219; XXII, 13; XXIII, 61, 67, 118, 129, 139; XXIV, 91; [XXXIV] 30, aliis locis.

Tum *σαφῶς* (*ἀκριβῶς*) *εἰδέναι* (*μανθάνειν*); ad exempla p. 78 allata adde [X] 60; XXIV, 32; XXXIV, 2, alia.

Denique desideratur totum illud frequentissimum genus, quod continetur genetivo substantivi abstracti quod dicitur, pendentis a verbis *εἰς τοῦτο*, velut *εἰς τοῦτ' ἦλθεν ὕβρεως, ἀναιδείας* sim. Cuius generis exempla tam multa ubique oc-

currunt, ut longum sit enumerare. Exiguam enim partem protulit Rehdantzius (ind. p. 234 s. v. genitiv), multo maior est numerus. Leochareae autem scriptor, tantum aberat ut similia usurparet, ut contra §. 28 diceret: *ἡ ἀναίδεια καὶ ἡ πλεονεξία τοιαύτη ἐστὶν αὐτοῦ, — ὥσθ' ἡγεῖσθαι δεῖν* pro quibus, nisi omnia me fallunt, Demostheni sponte quasi in buccam venisset: *εἰς τοῦτ' ἀναιδείας καὶ πλεονεξίας ἦλθεν, ὥστε —* (cf. XXVII, 25; XXI, 62 al).

Sed quid plura de his? Incredibile enim prorsus puto eum oratorem, cui in succum et sanguinem quasi hae locutiones ita cesserant, ut ne posset quidem evitare, in hac una oratione iis abstinuisse. Alia igitur erat Demosthenis verborum supellex, alia eius qui Leochaream scripsit.

Aliud deinceps argumentum hauriri potest e repetitionibus atque ambagibus, quae innumerabiles paene insunt in hac oratione. Nam etiamsi concedimus scriptorem, si ad iustum finem orationem perducere potuisset, haud parvam partem earum remoturum fuisse, tamen non minus patet Demosthenem ne in iis quidem orationibus, quas imperfectas reliquit, item molestum esse. Etenim Leochareae scriptori hoc dicendi genus profectum est non tam e temporis angustiis, quam quod, qua Demosthenes praeditus erat, ea ingenii facultate egebat. Afferam autem, quoniam nec hoc nec illud genus satis accurate distingui potest, quantum possum omnes quae insunt in oratione ambages et repetitiones.

De repetitionibus.

Legimus igitur cum per totam orationem dispersa tum maxime in §§. 21—25 iterum atque iterum verba *εἰσποιεῖν, εἰσποιητός, ἐγκαταλείπειν, ἐπανελθεῖν* quasi variandi non fuerit facultas, deinde §§. 2, 15, 16 *γένος, γένει* et formulam *ἐγγυτάτω, ἐγγύτατα γένους, γένει, κατὰ γένος* §. 2, 8, 12, 15, 24, 25, 26, (hic praeterea *γένει ἐγγυτέρω*) 33, 43, 47, 61, quibus addenda sunt 12, *ἐγγύτατα πρὸς ἀνδρῶν* et *πρὸς ἀνδρῶν ἡμεῖς ἐσμεν ἐγγυτάτω*, 13, *γένει τε ἀπωτέρω ἐστί*, 14, *τοῖς ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν*, 26, *γένει ἐγγυτέρω*. Quae repetitiones tam frequentes sunt, ut ne cunctis quidem Isaei orationibus, quae omnes similibus in causis versantur, superentur. (Exempla Isaei infra addam). Porro ubicunque orator exprimere vult

mortuum esse aut Archiadem aut Leocratem II filio non relicto usurpat verba ἄπαιδα τετελευτηκέναι: §§. 12, 15, 26, 29, 32, 34, 47, 48; molestior autem est repetitio §. 24: τετελεύτηκεν ἄπαις. τούτου δὲ ἄπαιδος τετελευτηκότος, quod iisdem verbis etiam §. 29 repetitur. Tum μήτε τὸν οἶκον ἐξερημωθέντα τὸν ἐκείνου περιιδεῖν (§. 2) conferendum est cum §. 11 καὶ τὸ γένος μὴ περιιδεῖν ἐξερημωθέν, 43 ὅπως ἂν ὁ οἶκος μὴ ἐξερημωθῇ, 47 γίγνεται ἔρημος ὁ οἶκος, 48 ἔρημός ἐστιν ὁ οἶκος, §§. 9, 10 γίγνονται — γίγνεται — γίγνονται, §. 2, 5 bis scriptum ζῶν ἐποιήσατο. Tum verbum quod est ποιεῖσθαι legimus etiam atque etiam, molestius autem est §. 24 τῷ αὐτῷ εἰσποιητῷ ὄντι υἱὸν εἰσποιεῖν, 27 οὐ τῶν ἀνδρῶν τῶν ποιησαμένων διετήρεις — οὐδένα εἰσποιεῖς τῷ Ἀρχιάδῃ υἱόν, ἐπειδὴ δὲ — τηνικαῦτα εἰσποιεῖς — καὶ φῂς μὲν οὐδὲν εἶναι τῷ Ἀρχιάδῃ, πρὸς ὃν εἰσεποιήθης, ubi verba πρὸς ὃν ἐ. prorsus abundant; §. 51 ῥηθησόμενα ὡς (ὑπὲρ?) εἰσποιητοῦ, εἰ δὲ τὴν ἀπολογίαν ἐναντίαν τῇ διαμαρτυρίᾳ ποιήσονται — εἰκότως δ' οὐ προσέγραψαν τὴν ποίησιν τῇ διαμαρτυρίᾳ, ἔδει γὰρ ἐγγράψαι αὐτοὺς „εἰσποιησαμένου τοῦ δεῖνος.“ ὁ δ' (Ἀρχιάδης?) οὐκ ἐποιήσατο, ἀλλ' ἑαυτοὺς εἰσποιοῦντες ἀποστεροῦσιν —, 63 ποιητοὺς υἱεῖς ποιοῦνται· εἰ δ' ἔσται τῷ εἰσποιηθέντι παρὰ τὸν νόμον εἰσποιεῖν, ὃν ἂν —, 64 τῷ αὐτῷ εἰσποιητῷ ὄντι ποιητὸν υἱὸν μὴ ποιεῖσθαι, cui addendum est in eadem paragrapho: τῷ — εἰσποιητῷ εἰς τὸ ἡμέτερον γένος ὄντι ποιητὸν ἐπὶ τὸν κλῆρον εἰσαγαγεῖν, multaque alia eiusdem verbi exempla, quae omnia enumerare longum est. Commemoro praeterea §§. 41 et 42: ἐπειδὴ γὰρ αὐτὸς ἀπετύγχανε τοῦ ἐγγραφῆναι — ἐπειδὴ ἐνεγράφη, τηνικαῦτα πείσας ἕνα — ἐνέγραψεν εἰς τὸ φρατορικὸν γρ. καὶ τοῦτον — ἀπογράφεται, ὡς υἱὸν — ἔτη πολλὰ τὸν πρῴην καὶ χθὲς ἐγγραφέντα; 51: ἐν δὲ τῇ διαμαρτυρίᾳ — διαμεμαρτυρημένα εἶναι — εἰ δὲ τὴν ἀπολογίαν ἐναντίαν τῇ διαμαρτυρίᾳ ποιήσονται, πῶς οὐκ ἢ τὸν λόγον ἀνάγκη ἢ τὴν διαμαρτυρίαν ψευδῆ εἶναι; εἰκότως δ' οὐ προσέγραψαν τὴν ποίησιν τῇ διαμαρτυρίᾳ — et paullo post διαμεμαρτυρηκέναι similia, quae omnia enumerare taedet. Sunt enim in sola ea parte, quae est a §. 46. usque ad §. 60. quadragies fere verba διαμαρτυρεῖν et διαμαρτυρία

ab oratore adhibita, quo loco quamquam diamartyria ipsa a Leochare intenta agitur, tamen puto, quicunque genuinas Demosthenis orationes et perfectas et non perfectas evolverit ei concedendum esse, egregium oratorem sic molestum fieri potuisse nunquam. Nunquam talia in similibus Lysiae aut Isaei orationibus invenies, nam nemo ne mediocri quidem ingenio praeditus orator ad tantam egestatem verborum descendere potuit.

Sed tamen ne quis dicat quas adhuc attulerim iterationes ortas esse e causa quae in iudicium veniret, addam nunc alias. §. 3 *καὶ ἀγαπῶντες ἐάν τις ἡμᾶς ἐᾷ τῶν νόμων τυγχάνειν* iisdem verbis repetitur §. 28. Deinde §. 3 *ταῖς ἀληθείαις πιστεύοντες* cf. §. 4 *εἰ μὴ τῷ δικαίῳ ἐπιστεύομεν*. Tum 28, *καὶ ταῦτα πάντα ῥᾳδίως διοικεῖται*, 35, *καὶ τοῦτο διῳκεῖτο*, 38, *ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενος*, 40, *ὃ δὲ μετὰ ταῦτα διοικεῖται*. Porro 38, *οὐκ ἐπιλογισάμενος ὅτι ἐπανεληλύθει* redit iisdem fere verbis §. 54 *οὐκ ἐπιλογισάμενος ὅτι ἐπανεληλυθότες ἦσαν* (nisi *ἐπανεληλυθὼς ἦν* scribendum est). *Ἰσχυρίζεσθαι* verbum legimus: 3, *τῇ παρασκευῇ καὶ τοῖς ἀναλώμασιν ἰσχυριζόμενοι*, 8, *οὐ μόνον τούτῳ ἐνισχυριζόμεθα*, 11, *τὸ μὲν ὅλον ἰσχυριζόμενοι ποιήσει*, 15, *καὶ γὰρ εἰ τῇ ποιήσει ἰσχυρίζονται*, 16, *τοῖς νόμοις οὐκ ἐνισχυριοῦνται*. Tum *ὅμως τούτων τοιούτων ὄντων* et *τούτων οὕτως ἐχόντων* 17, 23, 24, 61; *τὰ περὶ τοῦ γένους* 6, 15, 16; *οἴεσθαι δεῖν* 29, 36 bis, 43, 59, 66, et simile *νομίζω δεῖν* 5, *ἡγοῦμαι δεῖν* 28. Ubicunque igitur eaedem res iterantur, eadem verba redeunt, quasi non fuerint pronomina, non synonyma, nulla variandi facultas oblata sit. Quae apud Demosthenem repetita occurrunt, aut usu trita sunt, quae redintegrare nemo veterum scriptorum dubitabat, aut si quae orationes limam non sunt expertae, multo tamen pauciora sunt, quam quae in hac oratione inveniuntur[1]).

De ambagibus. Ab eodem incondito incultoque scribendi genere etiam eae ambages profectae mihi videntur, quibus quae brevius dici poterant magna verbositate explicantur, et quarum nonnullae putidi aliquid atque rhetoriscorum artem redolere Blassio

1) cf. Lortzing, de orationibus quas Dem. pro Apollodoro scripsisse fertur Berl. 1863 p. 35.

(p. 510 sq.) videntur. Non est hoc mirum, nam orator cum usu parum in dicendo posset, illustrandi atque exornandi studio altius, ut fieri solet, elatus est quam licebat. Laudantur autem iam a Schaefero (add. p. 247) haec: 44, *καὶ τῶν ἄλλων τῶν εἰρημένων, ὧν οὗτοι πεποιήκασιν, ἁπάντων* — 60, *καὶ ἐκ τῶν γεγραμμένων καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων λόγων*, quod malim ne Wolfius Reiskiusque tentaverint, 4, *ἀπορίας ἀνθρωπίνης*, 24, *ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενον*. Addam equidem 4, *ἃ δεῖ λογιζομένους ἐνθυμεῖσθαι*, boni enim oratores gaudent solo verbo *ἐνθυμεῖσθαι* aut *λογίζεσθαι* (cf. Is. I, 22, VI, 51, Dem. mult. loc.), 5, *οὐδὲν ἂν ἔδει πολλῶν λόγων, οὐδ' ἄνωθεν ὑμᾶς ἐξετάζειν τὸ γένος τὸ ἡμέτερον*, cuius sententiae prior pars sine ullo detrimento deleri potest. Simile est 6, *ἐπειδὴ δὲ τὰ μὲν διαμεμαρτυρημένα ἕτερον τρόπον ἔχει, ὁ δὲ πολὺς τοῦ λόγου τουτοισὶ ἔσται, ὡς εἰσεποιήθησαν*, ubi prior pars non minus abundat; §. 10, *ἣν ἐβουλήθη μὲν ἐκεῖνος ἀγάμῳ τῷ ἀδελφῷ ὄντι τῷ ἑαυτοῦ ἐκδοῦναι*, ubi non solum *τῷ ἑαυτοῦ* supervacaneum est, sed etiam post verba *ἀδελφῷ ὄντι* collocatum molestam reddit orationem. Melius fuit, si quidem orator hoc addere voluit: *τῷ ἑαυτοῦ ἀδελφῷ ἀγάμῳ ὄντι*. Sed gavisus videtur esse orator hac gravissima forma (cf. 17 *τῆς ἐκδοθείσης ἀδελφῆς ταύτης τῆς αὐτῶν*). Ambages etiam olent §. 15, cum eadem iam antea saepius dicta sint; 16, *ἐπειδὴ δὲ τοῖς μὲν νόμοις οὐκ ἐνισχυριοῦνται, τῷ δὲ προειληφέναι τι τῶν πραγμάτων ἐκ τοῦ ἄνωθεν χρόνου καὶ τῷ ἐμβεβατευκέναι εἰς τὴν οὐσίαν, τούτοις τεκμηρίοις χρώμενοι φήσουσι κληρονομεῖν, ἀναγκαῖον* — 18, *ἠρρώστησεν ὁ Ἀρχιάδης καὶ τελευτᾷ τὸν βίον ἀπόντος τοῦ Μειδυλίδου ἄγαμος ὤν*, ubi alii dixissent *ἀρρωστήσας τελευτᾷ* (cf. quod dixit Isaeus VII, 14: *ἐτελεύτησε νοσήσας*). §. 17, *τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων* prorsus ineptum est; deinde in eadem paragrapho: *ἐκδιδόασι τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτῶν ὁ Μ.* et tamen habemus statim in insequenti versu: *ἐκ θυγατρὸς τῆς ἐκδοθείσης ἀδελφῆς ταύτης τῆς αὐτῶν*; quam gravis atque impedita structura! 19, *ὁ Μειδυλίδης ἠγανάκτει καὶ οἷος ἦν ἐπεξιέναι*. 24, *ἀλλ' ὅμως τούτων τοιούτων ὄντων, ὅπερ εἶπον*. 31, *ὁ μὲν τοίνυν τοῦ πράγματος λόγος καὶ τὸ ἁπλοῦν δίκαιον περὶ τῆς κληρονομίας*

οὕτως ἔχει, ὦ ἄ. δ., τῶν τε πεπραγμένων ἐξ ἀρχῆς αὐτὰ τὰ κεφάλαια σχεδόν τι ἀκηκόατε. 59, *διόπερ οἶμαι δεῖν κοινοὺς ἐχθροὺς τοὺς τοιούτους ἀνθρώπους ὑπολαμβάνειν πᾶσιν εἶναι, καὶ μηδέποτε τυγχάνειν αὐτούς* — §. 61 porro participia conglomerata excipiuntur demonstrativa sententia: *τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων;* cui similis est §. 16: *ἐπειδὴ δὲ — τοῖς μέν, τῷ δὲ — τούτοις τεκμηρίοις χρώμενοι κτλ.* et §. 44, *πρῶτον μὲν οὖν — ὡς — καὶ ὅτι — καὶ ὡς — καὶ ὡς — τούτων ὑμῖν —.* Haec fere habeo dicenda de verbositate scriptoris. Non dubito, quin hic illic pauca addi possint, sed tamen ex his iam puto perspicuum esse, hanc orationem ut superetur omnibus iis quae a Demosthene, Lysia, Isaeo scripta sunt (nam eae ubique artis venustatem prae se ferunt) ita antecellere Apollodoreis, cum repetitionum aut ambagum numerus illas non aequet, nec haud exigua pars (§§. 32—59) festivitate atque venustate quadam careat [1]).

De pronomine quod est οὗτος.

Simile est iudicium de usu pronominis quod est *οὗτος*. Etenim quamquam *οὗτος* saepe usurpatum est, tamen nunquam tam perdite amat Leochareae scriptor hoc pronomen, ut cum Apollodoro perperam eo utatur. Nam nusquam invenies in hac oratione *οὗτος* aut omnino abundans aut in una sententia de diversis rebus accumulatum. Attamen scriptor quam potest saepissime usurpat pronomen *οὗτος* ad inculcandum atque infigendum in animis iudicum id quod maxime auctum atque praedicatum esse vult. Itaque dicit *οὗτος* non solum pro *αὐτῷ*, quod hic illic etiam Demosthenes fecit (§. 24, *τετελεύτηκεν ἄπαις, τούτου δὲ ἄπαιδος τετελευτηκότος*, 29, *καὶ τοῦ τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος, τούτου ἄπαιδος τετελευτηκότος*, 25, *πῶς οὐ δίκαιοί ἐσμεν τούτων* (scil. *τῶν κληρονομιῶν*) *μὴ ἀποστερηθῆναι.* cf. §§. 45, 65 al.) sed etiam post relativas sententias, etiamsi unum tantum membrum habent (40, *ὃ δὲ μετὰ ταῦτα διοικεῖται — τοῦτο πάντων δεινότατόν ἐστιν*, et sim. 61, *ὅτι δὲ καὶ οἱ νόμοι — ἡμῖν τὴν κληρονομίαν ἀποδίδωσιν, τοῦθ' ὑμᾶς διὰ βραχέων βούλομαι διδάξαι* cf. 49, *ἣν — ἐκ ταύτης* —) et post unum participium: 8, *κατὰ γένος ἐγ-*

1) cf. Blass. p. 510. ann. 7.

γύτατα ὄντες οὐ μόνον τούτῳ ἐνισχυριζόμεθα. Deinde plura participia excipiuntur: 38, τὸν δὲ παρὰ τὸ ψήφισμα — ἀξιοῦντα τὸ θεωρικὸν λαμβάνειν — ὄντα ἐξ ἑτέρου δήμου, τοῦτον οὐκ οἴεσθε; ἢ τὸν πρὸ τῆς — οὕτως ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενον, τοῦτον πῶς εἰκός. Similia sunt §§. 44, 61. Maxime autem discedere videtur scriptor a vulgari usu Demosthenis, quod etiam post coniunctiones ἐπεὶ, ἐπειδὴ aut pronomina aut adverbia demonstrativa usurpat: §. 6, ἐπειδὴ δὲ — ὁ δὲ πολὺς — ἀναγκαῖον, ὦ ἄ. δ., διὰ ταῦτα μικρῷ ἄνωθεν — διεξελθεῖν, 10, ἐπειδὴ δ' ὁ Ἀρχιάδης οὐκ ἔφη προαιρεῖσθαι γαμεῖν, ἀλλὰ καὶ τὴν οὐσίαν ἀνέμητον διὰ ταῦτα συγχωρήσας εἶναι ᾤκει καθ' αὑτὸν ἐν τῇ Σαλαμῖνι, οὕτως ἤδη — cf. 8, 16; ἐπειδὴ — τηνικαῦτα 27, 40, 41, 43. Cetera quae Siggius de Apollodori orationibus affert (pag. 428 seq.), accumulata participia et constructiones in sententiis parallelis quae dicuntur mutatas, in hac oratione locum non habent.

Iamque ne quid omittamus restat ut ad duas eas minutias accedamus quas ad iudicium confirmandum ex usu esse Siggius demonstravit. Constat enim inter doctos viros, infinitivum cum articulo coniunctum tam frequenter tantaque arte substantivi loco usurpatum esse a Demosthene, ut omnes qui antea erant oratores superarentur. Quam tamen perfectionis gloriam eum paullatim annorum disciplina et usu forensi assecutum esse Siggius probavit (p. 429). Etenim cum in primis orationibus, quas contra tutores habuit, raro infinitivos usurparet nec artem item egregiam adhiberet, posterae orationes, quo quaeque est recentior, eo crebrius artificiosum hunc usum exhibent. Utitur enim egregius orator infinitivo non solum ut reliqui oratores pro subiecto aut obiecto aut a praepositionibus dependente, sed etiam ubi ceteri aut nominativi cum infinitivo constructionem aut accusativum cum infinitivo usurpant, quo quidem in genere et subiectum et obiectum quamlibet formam habere potest. Cuius generis exemplum est Mid. 37, τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν τοῦ μὲν πολλὰ τοιαῦτα γίγνεσθαι τὸ μὴ κολάζεσθαι τοὺς ἐξαμαρτάνοντας αἴτιον ὄν, τοῦ δὲ μηδένα ὑβρίζειν τὸ λοιπὸν τὸ δίκην τὸν ἀεὶ ληφθέντα, ἣν προσήκει, διδόναι μόνον αἴτιον ἂν γενόμενον; cum

De infinitivi usu.

quo conferenda sunt ib. §. 223, pro Phorm. 12, al. Numerus autem talium infinitivorum, qui inest in primis orationibus contra Aphobum, multo ceteris orationibus superatur. Ibi enim praeter §§. I, 2, 28; II, 6 non legitur. In ceteris ita fere ubique pro rata parte idem numerus invenitur, ut circiter quinis paragraphis singuli tribuendi sint infinitivi. Continet enim prior oratio contra Onetorem duodecim, posterior quinque, or. pro Phormione undecim, contra Eubulidem duodecim, contra Cononem tredecim. Leocharea autem exhibentur undecim exempla: Subiecti loco: 12, *ἓν μὲν οὖν ὁμολογεῖται, τὸ κρατεῖν* —; pro obiecto: 32, *καὶ τὸ μὲν ποιεῖν τι τῶν νομιζομένων ἐκώλυσεν ἡμᾶς τῷ τετελευτηκότι.* Genetivus pendet ab adiectivis aut substantivis: 1, *αἴτιος μὲν — τοῦ καὶ αὐτὸς κρίνεσθαι καὶ ἐμὲ νεώτερον ὄντα λέγειν*, 4, *τοῦ ἰδιώτης εἶναι φανερὰς ἔχων τὰς μαρτυρίας.* 53, *τεκμήριον — τοῦ ψευδῆ τὴν διαμαρτυρίαν γεγενῆσθαι, τὸ περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος μὴ τὸν αὐτὸν ἀμφισβητεῖν*, ubi pronomine demonstrativo praecedente infinitivo eadem natura et vis explicandi continetur, quae XVIII, 2, 123, XXIII, 3 al. A verbo porro pendet genetivus §. 41: *ἀπετύγχανε τοῦ ἐγγραφῆναι*; dativus: 15, *ἰσχυρίζονται τῷ προειληφέναι καὶ τῷ ἐμβεβατευκέναι*; cum praepositionibus denique coniuncti sunt infinitivi: 4, *ἐπὶ τὸ πραγματεύεσθαι*, 32, *διὰ τὸ ἄπαιδά τε τὸν ἄνδρα καὶ ἄγαμον τετελευτηκέναι*, 20, *παρὰ τὸ τὸν Μειδυλίδην ταῦτα συγχωρῆσαι*, 58, *πρὸς τὸ προπετῶς τι πράττειν.* Longum est his exemplis alia adiungere e genuinis orationibus, concedendum enim puto si numerum spectes, non cedere Leochareae scriptorem summo oratori; quamquam de arte dubitari potest. Nullum enim exemplum egregiam eam artem aut ingenii strenuitatem redolet, quam loci a Siggio ex orationibus contra Midiam et pro Phormione petiti: Omnia enim exempla sunt simplicia et secundum usitatissimam apud alios oratores normam composita. Sed utut est, id tamen constare puto, hoc quoque dicendi usu magnopere superare hanc orationem omnes ab Apollodoro scriptas, in quibus infinitivi usum multo rariorem esse Siggius comprobavit.

Denique dicendum est de articulo nominibus propriis apposito. Satis enim constat inter doctos viros, Isocratem id sibi proposuisse, ut nominibus personarum et gentium nunquam, terrarum semper articulum adderet, ceteros autem oratores, in quibus Demosthenem, ita non certam legem secutos esse, ut mox prout liberet adderent mox omitterent articulum. Itaque uniuscuiusque scriptoris orationes persecutandae sunt, ut cognoscamus, quae sit ratio ponendi et omittendi, utrum additum malit articulum necne. Ostendit autem hoc de genere verissime ut mihi videtur vir doctus (p. 430) Demosthenem ita non addere articulum, ut eorum nominum numerus, quae careant eo, quinquies fere tanto maior sit, quam quae coniuncta sint cum articulo; quae ratio paucissimis mutatis etiam in singulas orationes quadrat. In orationibus ab Apollodoro compositis omissorum et positorum articulorum numerus paene par est. In Leocharea autem adhibitorum articulorum numerus vel maior est quam omissorum, cum circiter septuagies bis adhibitus, sexagies bis omissus sit. Vides igitur quantum discedat oratio a more Demosthenico.

De articulo nominibus propriis apposito.

VI.

Oratio cum similibus ceterorum oratorum comparatur.

Possum iam finem facere quaestionis, quoniam detractis omnibus, quae incerta et minoris momenti sunt, satis demonstrasse mihi videor, huius orationis scriptorem ita recedere a Demosthene, ut et arte oratoria et vocabulorum supellectile et naturali scribendi genere medium fere locum teneat inter Apollodorum et illustrem oratorem; sed tamen non videtur a re alienum esse hoc loco pauca addere, quibus facultas detur oratoris imaginem clariorem atque expressiorem paullo nobis animo fingendi. Quo in genere illud primum in considerationem venit, utrum, quod tamen constat Demosthenem quoque hic illic fecisse, ex ceteris orationibus, quae de causis hereditariis nobis traditae sunt, sententias totas vel argumenta

Nihil hausisse oratorem ex aliis orationibus.

petierit, necne. Hoc vero si quis quaerat pro certissimo negare possum. Etenim nulla sententia maioris amplitudinis huic orationi cum ulla ceterarum communis est; nam quae hic illic reperiuntur formulae sunt usitatissimae usuque maxime tritae. Refero huc asseverandi verba οὐδ' ὁτιοῦν (§. 2), quae leguntur apud Isaeum II, 17; XI, 28; in Macartatea 49, 50, 60; in Demosthenicis orationibus XXVII, 19; XXVIII, 12; [XXIX], 40; XXX, 31; XXXI, 2, 8; [XXXIV], 15, aliis locis; Aristoph. Plut. 385, Nub. 344, Xenoph. Cyr. III, 1, 19, VIII, 3, 40. Deinde εἰρήσεται γὰρ (§. 4) iisdem verbis expressum est Dem. LVII, 64; aliis locis additur subiectum: XIX, 224, εἰρήσεται γὰρ πανθ' ἃ φρονῶ πρὸς ὑμᾶς; [XXXII], 26, εἰρήσεται γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πᾶσα πρὸς ὑμᾶς ἡ ἀλήθεια, [XXXIX], 3, [XL], 10, [XLV], 4, [XLVIII], 4; Isocr. VII, 76, XV, 177, aliis locis. Tum οἴεσθαι δεῖν, νομίζειν δεῖν, ἡγεῖσθαι δεῖν, quae habemus Leoch. 5, 28, 29, 36 bis, 43, 59, 66, pro simplice δεῖν saepissime leguntur cum apud alios scriptores, tum maxime apud Demosthenem; quo tamen de genere dicendi satis habeo delegasse ad Rehdantzii indicem II. s. v. οἴεσθαι. Tum συγγνώμης τυγχάνειν, τὰ περὶ τοῦ γένους διεξελθεῖν, τὸν νοῦν προσέχειν, ἡσυχίαν ἔχειν tam saepe occurrunt apud alios, ut exempla proferre supersedere possim. Praeterea locutio οὗ ἐστιν ὁ κλῆρος (§§. 46, 51) quae ad verbum expressa rara est apud Isaeum (IX, 1, X, 7), sed frequentius exhibetur Macartatea or. (20, 27, 32, 34, 40, 63). Denique complexus sententiarum, quales sunt §. 5, εἰ μὲν οὖν — ἔμελλεν ἀπολογούμενος δείξειν, ὡς — οὐδὲν ἂν ἔδει πολλῶν λόγων, — ἐπειδὴ δὲ — ἀναγκαῖον, ὦ ἄ. δ., διὰ ταῦτα μικρῷ ἄνωθεν τὰ περὶ τοῦ γένους ὑμῖν διεξελθεῖν; §. 16, εἰ μὲν γὰρ — οὐκ ἂν ἠνοχλοῦμεν — ἐπειδὴ δὲ — ἀναγκαῖον et similia §. 25, εἰ μὲν γὰρ — ἐποιήσατο — οὐκ ἀντιλέγομεν. ἐπειδὴ δὲ — πῶς οὐ δίκαιοί ἐσμεν — §. 54, εἰ μὲν αὐτὸν διεμεμαρτυρήκει, εἶχεν ἂν λόγον αὐτῷ τὸ πρᾶγμα — νῦν δὲ — οὐκοῦν ἀνάγκη —; persaepe apud oratores occurrunt cf. Dem. XXVII, 1, XVIII, 9, [L], 1, [LI], 1, [XLVIII], 2, Isae. II, 1, IV, 4, 11, V, 5 saepius.

Talia sunt, quae hic illic apud alios oratores reperiuntur. E quibus tantum abest ut colligamus Leocharcae scri-

ptorem ex aliis orationibus quicquam petivisse, ut contra aliis iisque tritissimis formulis, quibus a ceterorum usu discedat, confirmari posse mihi videatur, eum libertate quadam pro suo ingenio atque facultate et causam et sermonem tractasse. Nam verba quae legimus §. 3: *δέομαι δ' ὑμῶν ὦ ἄ. δ. βοηθῆσαι τῷ τε πατρὶ τούτῳ καὶ ἐμοὶ, ἐὰν λέγωμεν τὰ δίκαια, καὶ μὴ περιιδεῖν πένητας ἀνθρώπους καὶ ἀσθενεῖς καταστασιασθέντας ὑπὸ παρατάξεως ἀδίκου* a vulgari forma discedunt. Etenim primum, quamquam apud iudices Athenienses precibus atque blanditiis assuetos magni erat momenti, non orat orator, ut *εὐνοϊκῶς* aut *μετ' εὐνοίας* aut *ἐξ ἴσου* ipsum audiant, quod raro omittitur ab oratoribus (cf. Dem. XXVII, 3: *μετ' εὐνοίας τέ μου ἀκοῦσαι;* [XXIX] 4 *ἐξ ἴσου;* [XLV] 1 *εὐνοϊκῶς ἀκοῦσαι;* LIV, 2; Isae. II, 2; VI, 2; VII, 4; VIII, 5; X, 3, permultis aliis locis. Deinde talibus in sententiis usitatissima est formula: *βοηθεῖν τινι τὰ δίκαια*, quam e brachylogia quadam explicandam esse sicut *κωμῳδεῖν τὰ δίκαια* [1]) auctor est Schoemannus [2]) (Dem. XXVII, 3, 68; XXX, 25; [XLV] 1; Lys. V, 1; XXXII, 3; Isaeus II, 2; VI, 2; VII, 4). Leochareae autem scriptor copiosius dicit: *βοηθῆσαι τῷ τε πατρὶ τούτῳ καὶ ἐμοὶ, ἐὰν λέγωμεν τὰ δίκαια.* Tum non congruunt cum vulgari usu §. 6: *ἀναγκαῖον ὦ ἄ. δ. διὰ ταῦτα μικρῷ ἄνωθεν τὰ περὶ τοῦ γένους ὑμῖν διεξελθεῖν;* §. 8 *πρῶτον μὲν ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ γένους ὑμᾶς διδάξομεν ὅθεν ἐστὶν ὁ κλῆρος· νομίζω γὰρ κτλ.;* §. 9 *τὸ γὰρ ἐξ ἀρχῆς — γίγνονται κτλ.* Etenim nemo orator, etiamsi longissime genus suum repetit, incipit a verbis *ἐξ ἀρχῆς* aut *τὸ ἐξ ἀρχῆς*, quod hic scriptor bis facit (§§. 9 et 17), sed quicunque inde ab initio res narraturus est, hoc in ipsa annuntiatione promittit. Praeterea hoc non exprimitur verbis *μικρῷ ἄνωθεν* (§. 6), sed aut sententia relativa (*ὅθεν οὖν ῥᾷστα μαθήσεσθε, ὅθεν οὖν ἤρξαντο*) aut ipsis verbis *ἐξ ἀρχῆς*. Cuius generis exempla ubique invenies. cf. Dem. XXI, 77; XXVII, 3; XXX, 5; [XXXIV] 5; XXXVI, 3; [XXXVII] 3; [XL] 5; [XLII] 4; [XLIII]

Pro suo ingenio et facultate oratorem sermonem cum libertate quadam tractasse.

1) Aristoph. Acharn. 662.

2) ad Isaeum p. 358. cf. Frohb. quoque ad Lys. XXXII, 3.

1; [XLV] 2; [XLVII] 3; [LII] 2; [LVI] 4; Isaeus I, 8; II, 2; VII, 4; VIII, 6; X, 3; Lys. I, 5; VII, 3; XII, 3; XVII, 1; XXXII, 3. Solus hic scriptor nisi fallor narrationi addit verba *τὸ ἐξ ἀρχῆς* et §. 6. *μικρῷ ἄνωθεν* se genus suum explicaturum esse promittit. Nam *ἄνωθεν* simili ratione usurpatum, si quidem indicibus et memoriae meae fidem habere licet, exstat in sola Midiana 77: *ἔσται δὲ περὶ αὐτῶν βραχὺς ὁ λόγος, κἂν ἄνωθεν ἄρχεσθαι δοκῶ.* Sed tamen non est omittendum, in eadem paragrapho duobus versibus ante recte aptissimeque ad normam dictum esse: *βούλομαι δὴ καὶ περὶ ταύτης ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς εἰπεῖν καὶ διηγήσασθαι, ἵν' εἰδῆθ' ὅτι* —, illustris orator *ἐξ ἀρχῆς* repetere sane noluit. In §. 160. autem constat eadem verba *ἔσται δὲ περὶ αὐτῶν κτλ.* ex §. 77. interpolata esse, et XLV, 80: *πονηρὸς οὗτος ἄνωθεν ἐκ τοῦ ἀναγκαίου κἄδικος* non simile est exemplum.

Ceteras transeundi formulas omitto, quandoquidem nihil certi inde colligi posse videtur mihi. Venio igitur ad v e r b a n o n n u l l a, q u a e a d c a u s a m i p s a m a t q u e u s u m f o r e n s e m p e r t i n e n t.

De verbo γένους.

Iam vero verbum quod est *γένος* quamquam Hermanni sententia [1]) laxitatem quandam quotidiani sermonis habet, quae accurata definitione vix circumscribi possit, tamen in Leocharea certas aliquot significationes exhibere videtur. Adhibetur enim primum ab oratore eodem sensu, quo ubique apud ceteros legimus, continens totum propinquorum complexum inde ab eo, de cuius hereditate certatur (§. 5: *ἐξετάζειν τὸ γένος τὸ ἡμέτερον*; 6, *τὰ περὶ τοῦ γένους ὑμῖν διεξελθεῖν*; 8, *ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ γένους ὑμᾶς διδάξομεν*; 15, *τὰ περὶ τὸ γένος*; 26, *παρ' οἷς ἦν ἐν τῷ γένει*; 30, *τὰ περὶ — τὸ γένος τὸ τούτων*). Deinde inest notio quaedam artioris propinquitatis, quam qua adversarii utuntur: §. 7, *ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία, παρὰ δὲ τούτων κατὰ ποίησιν*; 11, *καὶ ἡ μὲν τοῦ γένους ἀγχιστεία τοῦ ἡμετέρου, ἐν ᾧ ἔστιν ὁ κλῆρος*; 12, *περὶ δὲ τοῦ γένους ὡς οὐκ εἰσὶν ἡμῶν ἐγ-*

1) in recensione quam scripsit de libro De Boorii. Zeitschr. f. d. Alterth. 1840 No. 2—5.

γυτέρω, τοῦτο δεῖ μαθεῖν ὑμᾶς; 63, ἐπεὶ πῶς οὐκ ἐκκλείεται εἷς ἕκαστος ὑμῶν τῆς κατὰ γένος ἀγχιστείας, et ubicunque ἀπωτέρω, ἐγγυτέρω, ἐγγυτάτω, ἐγγύτατα adduntur: 13; 2, 8, 11, 15 bis, 24, 25, 26 bis, 33, 43, 47, 61, 66. Ex his autem iam apparere puto studium quoddam oratoris formas verborum mutandi, cum non solum utatur ἐγγύτατα et ἐγγυτάτω sicut Isaeus — cui tamen ἐγγύτατα gratius est —, sed etiam pro genetivo γένους dativum γένει et cum praepositione κατὰ γένος dicat (8, 43, 61). Iamque dativum γένει in hac locutione non memini apud Isaeum me reperisse nisi cum verbo προσήκειν collocatum (I, 37 ἡμεῖς ἐγγυτέρω γένει προσήκομεν; 45, καὶ γένει προσήκων ἐγγυτάτω; 49, ἐγγυτέρω τῷ γένει προσήκουσι) et in uno exemplo I, 40: εἰ τῶν μὲν συμφοριῶν τοὺς ἐγγυτάτω γένει κοινωνεῖν ἀναγκάσετε. Usitatior est ei genetivus (III, 72, 74; IV, 15, 16; V, 10; VIII, 1, 33; X, 5; XI, 8, 10; simile est etiam VIII, 30: οὐκ ἐγγυτέρω τῆς ἀγχιστείας εἰσίν). Sed tamen tantum abest, ut ulla Isaei oratio tot huius generis exempla exhibeat, quot sola Leocharea, ut contra quae in omnibus leguntur vix hunc numerum aequent; nam Isaeus qua erat ingenii facultate alio modo idem saepius exprimebat (cf. I, 17: τῷ γένει προτέρους ὄντας sim.), Leochareae scriptor non item. Quod attinet ad Macartateam ubique ibi habemus dativum γένει, neque unquam superlativus gradus in litteram α sed semper in ω exit. cf. 3 bis, 12, 13, 17 bis, 28, 31, 32, 47, 50, 55, 61, 65, 76. Superlativus ἐγγύτατα et genetivus γένους nisi in lege §. 54 non invenitur[1]). Superatur igitur Leochareae scriptor ingenio Isaei tanto, quanto ipse melior est quam qui Macartateam scripsit.

Praeterea utitur orator contra consuetudinem et Isaei et Macartateae scriptoris dativo γένει eadem significatione qua γόνῳ §§. 34, 49 bis, 51, 64. Dicit enim §. 2: οὑτοσὶ δὲ οὔτε γένει τοῦ τετελευτηκότος υἱὸς ἦν et 25: γένει ἦν αὐτῷ υἱὸς οὐδείς, ad quem locum Reiskius adnotat, malle se γόνῳ, diversa enim esse in sermone fori Attici γένος et γόνος. Tamen recte videtur H. Schaeferus censere non esse mutandum,

1) ἐγγυτέρω γένει dativus est etiam Ps.Dem. XLVIII, 6.

cum etiam XLV, 78 *οἱ γένει πολῖται* et *οἱ ποιητοί* inter se opponantur et indice alii loci exhibeantur (XXIII, 24; XXXVI, 30 *τοῖς γένει πολίταις;* [XL] 47 *οἱ δὲ νομιζόμενοι μὲν υἱεῖς, μὴ ὄντες δὲ γένει ἐξ ἐκείνων*). Etenim quamquam perfacile fieri potuit, ut librariorum incuria pro *γόνῳ* scriberetur *γένει*, tamen temerarium videtur mutare omnibus codicibus non solum hic, sed etiam aliis locis consentientibus.

Tum usurpat Leoch. scriptor pluralem numerum verbi *γένος* pro personis eodem sensu quo *συγγενεῖς*: §. 14 *τὸν νόμον αὐτὸν τὸν τοῖς τε γένεσι καὶ τοῖς ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν τὰς κληρονομίας ἀποδίδοντα;* §. 63 *τοῖς γένεσιν ἀποδιδόναι τὰς κληρονομίας;* porro in eadem paragrapho: *οὐδέποτε τοῖς γένεσιν αἱ κληρονομίαι δοθήσονται;* qua significatione me hoc verbum semel tantum apud Isaeum legisse memini (de Nicostr. hered. 11: *οὔτε τὰ γένη ὑβρίζετο πρὸς τούτων*)[1], ceteris locis usurpat Isaeus *συγγενεῖς*.

Nusquam vero, opinor, invenies singularem numerum eodem sensu dictum quo legimus §. 27: *τὸ ὁμολογούμενον γένος ἐξελαύνων*, ubi *τὸ ὁμολογ. γένος* eos significat, qui ab omnibus propinqui esse iudicantur.

Alio denique loco (§. 11 *τὸ γένος μὴ περιιδεῖν ἐξερημωθέν*) *γένος* positum est pro verbo quod est *οἶκος*.

De verbo οἴκου. Venio nunc ad verbum *οἶκος*, de cuius forensi definitione docti viri non minus inter se dissentiunt quam de verbo quod est *γένος*[2]. Leochareae scriptor facilem nobis disputationem reddidit. Legitur enim apud eum *οἶκος* solo eo sensu quem De Boorius[3] artiorem esse dicit. Nam significat domum et totam rem familiarem et omnia publica privataque iura, quae quidem unius hominis sunt. Quo sensu plerumque collocatum est hoc verbum cum *ἐξερημοῦν* (2, 15, 27, 43) et cum adiectivo *ἔρημος* (33, 47, 48 bis). Sic in Macartatea quoque habemus *ἐξερημοῦν τὸν οἶκον*: 11, 12, 68, 72, 73, 76, 80, 83, 84; adiectivum *ἔρημος*, si recte memini, est in sola paragrapho 78 (*τὸν δὲ Ἀγνίου οἶκον εἴακεν ἔρημον*

1) cf. quae Schoemannus ad hunc locum exposuit.
2) Schneid. de iure hered. Ath. p. 13.
3) Ueber das att. Intestaterbrecht. Hamburg 1838 p. 9.

εἶναι). Apud Isaeum autem legimus ἐξερημοῦν τὸν οἶκον: I, 44; II, 35, 43; VII, 30 bis, 31, 43, 44, et ἔρημον οἶκον VII, 31, 42; VI, 5. Iterum igitur, si numerum spectemus Leocharea medium locum tenet inter Macartateam et eas, quae ab Isaeo scriptae sunt, praesertim cum is interdum aliis verbis idem exprimat, velut II, 36: ἵνα μὴ ἀνώνυμος ὁ οἶκος αὐτοῦ γένηται; VI, 29 ὁρῶντες ἀπολλύμενον τὸν οἶκον, simil., quibus simile nihil inest in Leocharea. Macartateae scriptor nunquam variavit, sed semper eandem locutionem usurpavit.

Deinde vulgaria sunt: εἶναι ἐν τῷ οἴκῳ, ἐγκαταλείπειν ἐν τῷ οἴκῳ, ἐπανελθεῖν εἰς τὸν πατρῷον οἶκον. Illud est Leoch. 19, 28, 54, 67; ἐγκαταλείπειν 21, 22, 24; ἐπανεληλυθότων εἰς τὸν πατρῷον οἶκον 61. Quae locutiones tam frequentes sunt, ut longum sit exempla addere, sed tamen iterum Isaei numerus numerum huius scriptoris non aequat.

Eadem denique est significatio verbi οἶκον omnibus iis locis, quibus cum verbis ποιεῖν et εἰσποιεῖν collocatum est. Nam nimirum is qui in domum alicuius ascitur, accipit omnia ea iura, quae antea alterius fuerant. De usu autem huius verbi item multum interest inter eum, qui Leochaream composuit et ceteros scriptores. Etenim in hac oratione, quamquam saepissime usurpata est notio adoptandi, saepius certe quam in ulla ceterarum, quae quidem ad causam hereditariam spectant, tamen nunquam additum est εἰς οἶκόν τινος, sed verba ποιεῖν, εἰσποιεῖν aut nuda leguntur aut addito substantivo υἱός; rarissime variandi causa videtur εἰσάγειν usurpatum, quod tamen non solum apud Isaeum, sed etiam in Macartatea identidem legitur. Nam Leochareae scriptor, si quidem addit cuius quis in domum adoptatus sit, exprimit hoc aut dativo personae apposito, dependente scilicet a verbo ποιεῖν, aut semel genetivo, qui cum substantivo υἱὸς coniungendus est. Sic enim usurpatam habemus hanc locutionem cum dativo: 19, 21, 24, 27, 41, 43 bis, 55, 63, 64, cum genetivo 20 ὡς ἐκείνου υἱὸς ποιητός, semel praepositio addita est 27 πρὸς ὃν εἰσεποιήθης. Res autem ad quas adipiscendas filius asciscitur cum praepositionibus coniunguntur:

28 ἐφ' ἅτε εἰσεποιήθη; 36 ἐπὶ τὸ ὄνομα — τὸ τοῦ Ἀρχιάδου εἰσποιηθῆναι; 64 εἰσποιητῷ εἰς τὸ ἡμέτερον γένος ὄντι ποιητὸν ἐπὶ τὸν κλῆρον εἰσαγαγεῖν; 67 τῷ γὰρ — εἰσποιηθέντι ἐπὶ τὰ ἑτέρου. Nuda denique verba ποιεῖν et εἰσποιεῖν, ad quae υἱὸς nisi additum est facile suppletur, leguntur 2, 6, 22, 23, 25, 27, 34, 39, 40, 46, 47, 48, 50, 51, 68. Qua scribendi ratione hic scriptor propius accedit ad Isaei usum, qui saepe verbis ποιεῖν, εἰσποιεῖν cum dativo personae et addito et omisso substantivo υἱὸν utitur (cf. VII, 1, 4, 13, 17 bis, 28, 31; IX, 5, 10, 11, 13, 16, 21, 34 saepius). Sed tamen cum non minus saepe Isaeus addat εἰς οἶκον (VI, 22; VII, 23; IX, 2; X, 4, 8, 17 aliis locis) is autem, qui Macartateam scripsit, semper plenissimam formam εἰσποιεῖν εἰς οἶκόν τινος usurpet (12, 15, 41, 78, 81) multum discrepat iterum ab illorum usu Leochareae scriptor, qui nunquam dicit εἰσποιεῖν εἰς οἶκόν τινος.

Aliae locutiones in quibus similis significatio inest velut εἰσάγειν εἰς φράτορας, alia, quarum satis magnus numerus in Macartatea et apud Isaeum exstat rarissimae sunt in Leocharea. Orator enim non multum variandi studio tribuit, quamquam fere in unaquaque paragrapho idem non semel, sed bis, ter, quater exprimendum erat.

De verbo ἀγχιστείας.

Non minor quam de verbis γένος et οἶκος dissensio est de ἀγχιστείᾳ. Posuit enim in medio Bunsenius [1]), ἀγχιστείαν omisso articulo fuisse ius atque conditionem omnium eorum, quibus ex propinquitate liceret hereditatem petere, opponique iis, qui non essent in numero propinquorum, τὴν ἀγχιστείαν articulo apposito unicuique propinquorum gradui fuisse respectu ceterorum, non solum qui meliore, sed etiam qui minore iure uterentur. Quam definitionem nimia subtilitate enucleatam esse ostenderunt iam De Boorius [2]) et Schneiderus [3]); nam et ἀγχιστεία et ἡ ἀγχιστεία utroque sensu a scriptoribus adhibita est. Ac longe quidem plurimis locis hanc notionem in verbo ἀγχιστείας inesse concedo: Isae. I, 4,

1) De iure hered. Ath. p. 14.
2) l. c. p. 26.
3) l. c. p. 14.

37, 39, 47; IV, 17; V, 14, 16; VI, 47; VII, 20; VIII, 30, 34; XI, 2, 3, 5, 7, 9, 11, 12, 16, 17, 19, 22, 25, 29, 30, 33; Dem. Lept. 102, Mac. 3, 27, 50, 51, id est omnibus iis locis, ubi haec vox singulari numero adhibita est. Singularem autem numerum usurpant oratores non solum de una sed etiam de compluribus personis, sive eundem gradum habent propinquitatis, sive diversos. Cf. ut paucos locos de pluribus depromam Is. XI, 2 *τρίτῳ γένει δίδωσι τὴν ἀγχιστείαν, ἀνεψιοῖς πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων* (nam qui propinqui sunt inde a fratribus usque ad *ἀνεψιῶν παῖδας* complures gradus inter se diversos complectuntur). Eadem est ratio XI, 5, Mac. 59 al. Quae igitur erat Isaeo necessitas quattuor locis pluralis formae adhibendae (VII, 44; XI, 3, 17, 18)? Mihi quidem persuasum est, oratorem cum *τὰς ἀγχιστείας* diceret non tam ordinum iura spectasse, quam ordines ipsos.

Probatur hoc optime oratione quae est de Hagniae hereditate, ubi legimus §. 1: *ὁ δὲ νόμος περὶ ἀδελφοῦ χρημάτων πρῶτον ἀδελφοῖς τε καὶ ἀδελφιδοῖς πεποίηκε τὴν κληρονομίαν* — 2: *ἐὰν δ' οὗτοι μὴ ὦσι δεύτερον ἀδελφὰς ὁμοπατρίας καλεῖ καὶ παῖδας τοὺς ἐκ τούτων. ἐὰν δὲ μὴ ὦσι, τρίτῳ γένει δίδωσι τὴν ἀγχιστείαν, ἀνεψιοῖς πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων. ἐὰν δὲ καὶ τοῦτ' ἐκλείπῃ εἰς τὸ γένος πάλιν ἐπανέρχεται καὶ ποιεῖ τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ τελευτήσαντος κυρίους αὐτῶν, κατὰ τ' αὐτὰ καθάπερ τοῖς πρὸς πατρὸς ἐξ ἀρχῆς ἐδίδου τὴν κληρονομίαν*, quibus ordinibus enumeratis orator pergit §. 3 *ταύτας ποιεῖ τὰς ἀγχιστείας ὁ νομοθέτης μόνας*. Deinde §. 17: *οἱ δὲ ὑπὲρ τῆς Ἁγνίου μητρὸς γένει μὲν ἐμοὶ ταὐτὸ προσηκούσης — νόμῳ δὲ ἀποκλειομένης, ὃς κελεύει κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας, τοῦτο μὲν εἴασαν, οἰόμενοι δ' ἐμοῦ πλεονεκτήσειν μητέρα εἶναι τοῦ τελευτήσαντος ἔγραψαν· ὃ συγγενέστατον μὲν ἦν τῇ φύσει πάντων, ἐν δὲ ταῖς ἀγχιστείαις ὁμολογουμένως οὐκ ἔστιν*, id est, mater omnino non est in n u m e r o e o r u m, qui ex propinquitate mortui filii hereditatem petere possunt; quibus similis est §. 18 *κἀκείνας ἐξελέγξας οὐκ οὔσας ἐν ταῖς ἀγχιστείαις*. Manifestum puto his tribus locis *τὰς ἀγχιστείας* significare ordines, quibus ius erat succedendi. Nec obest huic expli-

cationi ultimum pluralis formae exemplum VII, 44, ἑτέρων ταῖς ἀγχιστείαις προτέρων αὐτοῦ τῆς γυναικὸς ὄντων, cum nihil aliud significare possit nisi „cum ceteri in melioribus ἀγχιστείας ordinibus essent."

Sed revertamur nunc ad Leochaream. Quinquies enim habemus ibi verbum ἀγχιστείας usurpatum atque ubique significans omnia ea iura, quae, ut Schoemanni verbis utar [1]), cum cognatione coniuncta sunt, quibus nemo uti poterat nisi iustis nuptiis procreatus. Atque quattuor quidem locis adhibitum est secundum Isaei normam: §. 6 ὡς — κατὰ τὴν ἀγχιστείαν γνήσιοι ὄντες δικαίως ἂν τῆς οὐσίας κληρονομοῖεν, 7 ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία, 11 καὶ ἡ μὲν τοῦ γένους ἀγχιστεία τοῦ ἡμετέρου — σχεδὸν οὕτως ἔχει, 63 ἐπεὶ πῶς οὐκ ἐκκλείεται εἷς ἕκαστος ὑμῶν τῆς κατὰ γένος ἀγχιστείας; primum autem exemplum §. 2 ἡμῖν μὲν γὰρ ἀναγκαῖον ἦν τοῦ νόμου τὰς ἀγχιστείας τοῖς ἐγγυτάτω γένους ἀποδίδοντος κτλ. minime in rationem ceterorum scriptorum quadrat. Nam nihil aliud hoc loco significatur quam quod ceteris locis, nec de diversis ordinibus potest cogitari. Probanda igitur videtur mihi Schoemanni [2]) et H. Schaeferi [3]) sententia, qui Ammonio [4]) auctore τὰς ἀγχιστείας idem esse censuerunt quod τὰ ἀγχιστικὰ δίκαια. Quae explicatio eo probabilius est, quod §. 3 in eadem prooemii parte idem orator simili ratione etiam ταῖς ἀληθείαις plurali numero pro τῇ ἀληθείᾳ dicit.

De verbo ἀποδιδόναι.

Ultimus denique locus sit de verbo ἀποδιδόναι cum substantivo quod est νόμος collocato. Nam de ceteris verbis ἐᾶν, κελεύειν sim., quae non minus saepe cum hac voce consociantur, ullius momenti nihil dicendum est. Legimus enim ubi νόμος subiectum est saepe compositum ἀποδιδόναι. 2 τοῦ νόμου τὰς ἀγχιστείας — ἀποδίδοντος, 12 ἁπλῶς — ὁ νόμος τὰς κληρονομίας ἀποδίδωσιν, 14 τὸν νόμον αὐτὸν τὸν — τὰς κληρονομίας ἀποδίδοντα, 25 ὁ δὲ νόμος τοῖς ἐγγυτάτω γένους

1) antiqu. publ. p. 193.

2) ib. p. 193.

3) ann. ad hunc locum.

4) p. 3 ed. Schaeferi: συγγενεῖς δὲ οἱ ὄντες ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, οὐ καλούμενοι δὲ ὑπὸ τῶν νόμων ἐπὶ τὰ ἀγχιστικὰ δίκαια.

τὰς κληρονομίας ἀποδίδωσι, 60 οἱ νόμοι — ἡμῖν τὴν κληρονομίαν ἀποδιδόασι, simile 66 ὁ νομοθέτης — ἀποδέδωκεν; in sola paragrapho 63. dicitur non addito verbo νόμος: οὐδέποτε τοῖς γένεσιν αἱ κληρονομίαι δοθήσονται. Iamque quin recte et iuste compositum sit adhibitum nemo dubitabit, quippe quo significetur restituere et reddere quod alicui debeatur. Saepe etiam redeunt similia apud oratores, sed tamen simplex quoque non solum apud Demosthenem legitur, sed etiam ab Isaeo praeponitur composito (cf. XI, 5, 13, 25, 29; VII, 2; I, 4 al. Mac. 62 Σόλων ὁ νομοθέτης δίδωσι τὰ καταλειφθέντα) nam compositi siquidem recte memini unus tantum consimilis locus est apud Isaeum VI, 63: ὁ νόμος τὴν κληρονομίαν καὶ τοῖς ἐξ αὐτοῦ γενομένοις. Cognoscimus igitur iterum, ne in vulgaribus quidem locutionibus sequi Leochareae scriptorem ceteros oratores.

Haec mihi proposui disputanda. Proinde ut iustum huius libelli finem faciamus quae copiosius disseruimus ea paucis si placet nunc referamus. Sunt enim haec:

a) Orationem non esse ad exitum perductam inde collegimus, quod prior prooemii pars maiore arte composita est quam omnis reliqua oratio, quod dispositio vitiosa est, quod conclusio et refutatio desunt.

b) Ne imperfecta quidem haec oratio a Demosthene scripta esse potest, nam nunquam illustris orator litium nomina stulte inter se commutasset, nunquam inepta argumenta protulisset, non facile a more atque usu suo ita discessisset, ut πίστεις ἀτέχνους argumentationi adderet, ut studio ornate dicendi ad ineptum atque putidum genus traheretur, ut eas elocutiones, quae in succum et sanguinem quasi transierant, evitaret.

c) Tamen et arte et sermonis puritate oratio multo melior est, quam quae ab Apollodoro scriptae videntur esse.

d) Nihil impedit, quominus eam Demosthenis temporibus scriptam esse censeamus, nam quod diamartyriae testimonium ab ipso Leochare datum esse dicitur in calumniarum artibus videtur esse numerandum.

Vita.

Carolus Augustus Hermannus Schwebsch natus sum Fehrbellini in oppido licet parvo tamen satis illustri a. d. IV. Non. Novembres a. h. s. L. patre Carolo, matre Guilelma e gente Schmidtiana. Fide institutus sum evangelica. Primis litterarum elementis cum in patria institui coeptus essem a. h. s. LXII. cum parentibus Berolinum transmigravi, ubi puerilibus studiis finitis anno LXV. a Bohmio benevolentissimo praeceptore in quartam classem gymnasii Fridericiani deductus sum, quod tum Krechii nunc Kempfii auspiciis floret. A. h. s. LXXII maturitatis testimonium adeptus in universitatem Fridericam Guilelmam transmigravi, ut philologiae operam darem. Cuius cum civis per decies sex menses essem lectionibus interfui v. v. cll. Hauptii, Vahleni, Kirchhoffii, Huebneri, Ebelii, Mommseni, Curtii, Heydemanni, Muellenhoffii, Droyseni, Weberi, Harmsii, Zelleri, Bonitzii, Kummeri, Geppertii, Mullachii, Steinthalii, Messneri, Michaelis. His viris cum omnibus gratias ago tum maxime Kirchhoffio, Huebnero, Vahleno, Bonitzio, Muellenhoffio, qui comiter me exercitationum philologicarum et philosophicarum per aliquot semestria participem esse permiserunt.

Sententiae controversae.

I. Schoemanni sententiam (ad Isaeum p. 369) *τὴν τῶν ἀρχόντων ἀγορὰν* idem significare quod *τὰς ἀρχαιρεσίας* non esse rectam.

II. Orationem *κατ' Ὀλυμπιοδώρου βλάβης* ab Alexandrinis cum oratt. contra Calliclem et Dionysodorum consociatam librariorum errore in locum unde quinquagesimum incidisse videri.

III. Reifferscheidum errasse cum in vita A. Persii Flacci de commentario Probi Valeri sublata p. 72 ad verbum „decessit" adnotavit: „immo sepultus est".

IV. ibid. p. 74, 14 Chrysippi nomen esse retinendum.

V. In carmine Friderici de Husen M. F. p. 42. post versum 19. levius esse interpungendum et 21—22 asteriscos esse delendos.

Ienae, typis Ed. Frommanni.